

Universitätsbibliothek Wuppertal

Stoicorum veterum fragmenta

Zeno et Zenonis discipuli

Arnim, Hans von

Lipsiae, 1905

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechteinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechteinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2758](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2758)

Praefatio.

Chrysippi Stoici fragmenta colligendi auctor mihi exstitit Usener, vir summe venerandus, anno 1886; idemque qua via ac ratione arduum opus aggredi oporteret, docuit. Deinde casu accidit, ut ab Ordine Philosophorum Gottingensi praemium promitteretur, siquis Zenonis, Cleanthis, Chrysippi Stoicorum principum et discipulorum reliquias ad res ethicas, politicas, divinas spectantes collegisset. Ego vero, cum Zenonis et Cleanthis reliquias a Wellmanno et Wachsmuthio ita viderem collectas, ut non multa iis adici possent, in Chrysippum, quem neglectum iacere videbam, omnem laborem conferre perrexi, ut non solum ethica, politica, theologica, sed omnia eius fragmenta complecterer. Postea demum, cum haec Chrysippeorum collectio ad finem aliquo modo perducta et ab Ordine Philosophorum Gottingensi praemio ornata esset, ita opus amplificavi, ut non solum Zenonem et Cleanthem, sed etiam minores Stoicos, qui ante Panaetium fuerunt, comprehenderem. Atque in hac re summam quidem operam dedi, ne quid me fugeret, sed non potui omnes auctores, quos Chrysippi causa perlegeram, iterum pertractare. Itaque quae altero et tertio volumine proponuntur Chrysippi et discipulorum fragmenta, a me accurata auctorum lectione collecta sunt; Zenonis autem et Cleanthis fragmentorum collectio, quae primo volumine continetur, ex Wellmanni, Wachsmuthii, Pearsoni (the fragments of Zeno and Cleanthes London 1891) libris ita repetita est, ut eam ad mei operis rationem universam accommodarem et quatenus possem, supplerem et corrigerem. Quod hic profiteri aequum duxi, ut viris illis doctis debitam gratiam referrem.

Itaque Chrysippeae quidem philosophiae accuratam atque plenam imaginem, quatenus potui, hoc opere adumbravi, Zenoni autem et Cleanthi ea tantum adscripsi, quae in fontibus ipsis nominatim ad eos referuntur. Ita enim res se habet: eam Stoicae doctrinae formam, quae imperatorum Romanorum aetate fuit, uberrimis testimoniis illustrare possumus eademque ex Chrysippi auctoritate tota pendet.

Zeno et Cleanthes quid docuerint, ita tantum enucleari potest, ut quae nominatim ad eos referuntur, et cum hac Chrysippea philosophia et cum Posidonianis et cum Socraticis et Academicis Zenonis antecessoribus diligenter comparentur. Hunc igitur laborem exantlare neque volui neque potui, sed fundamenta tantum struere, unde illae quaestiones proficiscerentur. Nam fragmentorum collectiones ita institui oportet, ut ad ipsam quasi substantiam traditionis facilis aditus paretur. Ea vero quae non nisi subtili disquisitione ex illa materia extrahi possunt atque ea maxime quae sola coniectura quamvis probabilis nituntur, ab eiusmodi collectione procul habenda esse censeo. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut Zenonis aut Cleanthis philosophiam ex sola fragmentorum lectione aliquis intellegat; potest fieri, ut intellegat Chrysippum. Altero igitur et tertio volumine hoc primum volumen illustrabitur.

Atque de ratione in illis a me inita plura mihi erunt praefanda, cum de totius operis ratione pauca etiam monuero. Ordinem fragmentorum ubique, etiam in minoribus philosophis ex doctrinae ratione constitui, quae nisi ex altero et tertio volumine intellegi non potest. Zenoni, Cleanthi, Chrysippo indices subieci, quibus ad singulos libros fragmenta librorum titulis insignita referuntur. Eam rationem secutus sum, quia doctrinam philosophorum restituentibus maxime inservire volui. — Testimonia quae ad vitam, mores, stilum philosophorum pertinerent, ubique placitis et fragmentis praemisi. Dicta (*ἀποφθέγματα, ῥησις*), sicubi maior numerus exstabat, post fragmenta collocavi. — Adnotationem criticam ita conformavi, ut lectiones ex virorum doctorum coniecturis profectas sive a me ipso novatas significarem. Praeterea ex fontium editionibus criticis eas lectionis varietates adscripsi, quae ad res in fragmentis tractatas aliquid facere viderentur. In Diogenis Laërtii textu recensendo copiis usus sum ab Hermanno Diels et Edgardo Martini benigne mihi commodatis. Ubi non suppetebat apparatus criticus ipse, quantum potui, elaboravi, ut corruptelis textum purgarem.

Quae primo volumine continentur Herilli, Dionysii Metathemeni, Persaei, Sphaeri fragmenta, perpauca sunt neque sperari potest plura investigatum iri. Nam brevis fuit eorum auctoritas; atque talium scriptorum siqui libris utuntur, nomina eorum, ut doctrinae speciem captent, prae se ferre solent. Plura tenemus Aristonis Chii fragmenta, quamquam libros ab ipso conscriptos praeter epistulas fuisse nullos Panaetius et Sosicrates dixerunt. Sed de Aristone Ceo Peripatetico in eorum quae composui fragmentorum nullo cogitari potest. Ea partim ad doctrinam Chii pertinent, quae etiamsi nullus

eius liber exstisset, ex Chrysippi libris illum impugnantibus cum Stoicis tum adversariis Stoicorum nota esse poterant, partim facete dicta sunt, item Chio, non Ceo tribuenda. Nam *δουσιωμάτων* collectionem, qua Stobaeus vel vetustioris florilegii auctor usus est, ad Chium pertinere, et ipse Stobaeus testatur et Laërtii vita docet, in qua dialecticorum sophismata cum araneorum telis comparantur. Videntur autem multae Aristonis scholae ab auditoribus litteris mandatae esse, unde Seneca amplam illam enarrationem epist. 94 (n. 359) haurire potuit. Atque ex scholis et commentariis etiam similitudines illae (*δουσιώματα*) ab aliis colligi potuerunt.

In altero et tertio volumine Chrysippi fragmenta et doctrinae testimonia cum iis testimoniis quae ad generalem Stoicorum doctrinam pertinent, ita composui, ut eam doctrinae formam, quae imperatorum aetate fuit, quam plenissime repraesentarem. Atque typorum genere tria locorum genera ita distinxi, ut rectis typis maioribus ipsa Chrysippi fragmenta imprimenda curarem, i. e. locos, quibus ipsa Chrysippi verba servantur, obliquis typis eiusdem mensurae, quae de placitis Chrysippi, addito nomine philosophi, proderentur aut certa ratione ad ea referri possent, minutis denique typis, quae aliquo modo ad cognoscendam Chrysippi doctrinam utilia viderentur. Atque moneo lectores, ne ea omnia, quae hoc tertio locorum genere complexus sum, pro veris et propriis Chrysippi fragmentis a me vendi arbitrentur; sed omnia eiusmodi esse puto, ut aliquam necessitudinem cum Chrysippi doctrina habeant. Nam quis neget, ubi de ipso Chrysippo fontes nihil produnt, etiam ea ad nos pertinere, quae alii philosophi ex Chrysippi doctrina profecti eoque fundamento usi docuerunt. Itaque iis materiam utilem volui commodare, qui ex ipsis fragmentis Chrysippi et doctrinae testimoniis profecti, adhibitis etiam obscurioribus vestigiis, de eius philosophia quaerere vellent. Eorum autem placitorum, quorum satis amplam testimoniorum copiam iam collectam haberem, quotiens plura etiam inveniebam testimonia, ea quae nihil novi continerent neque ulla re memorabilia viderentur consulto omisi. Quae vero ad philosophiam Chrysippi accuratius cognoscendam utilia sunt, ea volui quidem omnia complecti; siqua omisi, invitatus feci. Sed fieri non potuit, ut omnia unius placiti testimonia uno capite coniuncta traderentur, quia fontium loci saepe ad res diversissimas pertinent; quos discerpi et per singula capita distribui vetabat sententiarum in ipso fonte conexus, quem servari oportebat. Itaque quae de quoque placito testimonia hoc opere contineantur, non nisi ex indicibus subiectis intellegi poterit.

Praeter fragmenta apud alios scriptores servata libri ipsius Chry-

sippi, quamquam mutili, ad nos pervenerunt per papyros. 1. In Herc. Vol. Coll. Alt. V 22 – 25 misera frustula exstant alterius de providentia libri. Septem columnae sunt eius libri extremae, cum subscriptione *Χρυσίππου περὶ προνοίας Β*, editae post Neapolitanos a Gerckio in Fleck. annal. suppl. XIV p. 710. Quas cum in illo capite Vol. II quod est de providentia (p. 322sq.) omiserim, hic ea proponere libet, quae aliquem fructum praebere possint. In col. I haec fere agnoscuntur: ἐν τῷ(ι κ)όσ(μῳ) τὰ κακὰ | κατ' ἐπακολ(ούθησιν οἱ) | μαι γίνεσθαι (δι' ἀγαθὰ | μεί)ζονα ὄντ(α, quae sententia etiam a Gellio fr. 1170 (Vol. II p. 336) Chrysippo tribuitur. In col. II disputasse videtur, omnia in mundo necessario fieri πλὴν τῶν πρ(α) | χθέν(τω)ν ὑφ' ἡμῶν | καὶ τῶν (ἄ)λλων ζ(ώι)ων. In col. III nihil intelligi potest. In col. IV de cognominibus Iovis disputatur, ut apud auctorem περὶ Κόσμου cp. 7 et apud Dionem in Olympica: τὸν (Δία σ)ωτήρα εἶναι (καὶ) | φί(λιον) καὶ ξένιον (καὶ) | πολι(έα) καὶ ἄλλως (πολλὰ | χῶς ὀνομα)σθῆ(ναι). In col. V primum dicit, se iam finem huic libro impositurum esse: αὐτοῦ καταπαύων τὸν λόγον. Deinde capita quaedam disputationis enumerare incipit, quorum primum est: unam esse naturam unumque mundum: δεῖ γὰρ διειληφέναι πρῶτον μὲν ὅτι (εἰ pap.) οὐκ ἐνδέχ(ε)ται φύσιν ἄλ(λην) εἶναι καὶ ἄλλον(ς κ)όσμους (καὶ) ὅτι οὗτος ὁ κόσμος κατ(έσ)τη (τῇ)ι (φ)ύσει ἀνε(λ)λιπῶς ἀπέχων πάντ(α) τὰ (ὄν)τα. Cf. Vol. II n. 530sq. In his verbis ἀνελλιπῶς significat „ita ut nihil deesset“, scil. ex materia, quia mundus ἐκ πάσης τῆς οὐσίας factus est. Quod moneo propter Gerckium, qui adnotat: ἀνελλιπῶς = ἀνεκλείπτως. — Ad deos sive daemones pertinere videntur, quae in col. VI leguntur: (τῶν) μὲν καθ' ὅλου δεκτικῶν ὄντων ἀρετῆς, οὐ κακίας, τῶν δ' ἐναναλήπτως π(ρὸς) αὐτῇ(ν) ἐχ(όν)των, ἐὰν μὴ τύχ(ωσι)ν ἤδη ἔχοντες. Π(ερὶ) δαιμόνων [λαί . . . εἰ pap.] φ(ύ)σεως (καθό)λου ταῦτα διειληφέναι | (π)ροσῆκεν. Sequentia non certa ratione suppleri possunt. — In col. VII haec leguntur: ἐὰν τὰ ὁμ(ο)ία (ἐπ)ι γένηται (π)ρονοίαι, (τ)ὸ | Διὸς προνοία(ι) τα(ῦτ)α | (δι)ωκῆσθαι(ι) [ωκείσθαι pap.], δε(ί) | ἐ(πελ)θεῖν ἀρχομένους ἀ(π)ὸ | τῶν (ψ)υχῶν καὶ τῶν | φύσεων, καθά(περ) ἐ(να)ρχόμενος (εἰ)πα, ῥηθήσε(ι) | τα(ι) δέ τι περὶ τούτων | καὶ ἐν τοῖς ἐχομέν(οις). | Τόπον δ' αὐτοῦ κατα —. Scil. rationem, qua Iuppiter per providentiam mundum gubernat, demonstrari oportet ex ea ratione, qua plantae a naturis, animalia ab animis suis reguntur (ἀπὸ τῶν ψυχῶν καὶ τῶν φύσεων).

Deinde habemus 2. *Χρυσίππου Λογικῶν Ζητημάτων Α*, editum a Croenerto Herm. XXXVI 552sq., a me Vol. II p. 96sq., qui quamquam nondum ita restitutus est, ut totus conexus sententiarum perspicui possit, multa tamen insunt, quae optime intellegantur et de logica

Chrysippi ratione nova nos edoceant. Hic liber dubitari non potest, quin idem sit, de quo Valerius Maximus VIII 7, 10 (Vol. II n. 19 p. 10) haec prodidit: „Citerioris aetatis metas, sed non parvi tamen spatii Chrysippi vivacitas flexit: nam octogesimo anno coeptum undequadragessimum *Λογικῶν* exactissimae subtilitatis volumen reliquit.“ Patet enim haec non referri posse ad omnia Chrysippi scripta logica, quae trecenta et undecim fuisse catalogus Laërtianus testatur (Vol. II p. 8, 26 huius operis), sed certum aliquod significatur opus logicum, quod undequadraginta fuit voluminum. Huius titulum non fuisse *Λογικῶν* *ΛΘ* simpliciter, sed *Λογικῶν Ζητημάτων ΛΘ* nos docet auctor catalogi Laërtiani, qui, postquam cetera scripta logica per quattuor locos disposita enumeravit, quintum locum addit: *Λογικοῦ τόπον τὰ τῶν προειρημένων τετάρων διαφορῶν ἐκτὸς ὄντα καὶ περιέχοντα <τὰς> σποράδην καὶ οὐ σωματικὰς ζητήσεις λογικὰς περὶ τῶν καταλεγομένων. Ζητημάτων ΛΘ*. Conspirat numerus librorum. Neque *Ζητήματα* hoc opus, quod ad solam logicam pertineret, inscriptum fuit, cum etiam *ἠθικά* et *φυσικά* Chrysippi *ζητήματα* exstarent, sed *Ζητήματα λογικά*. Illud *λογικά* in catalogo omitti poterat, cum ex antecedentibus subintelligeretur. Itaque etiam titulus cum Valerio Maximo conspirat. Nam ex plena tituli forma: *λογικά ζητήματα*, Valerius *ζητήματα*, catalogus *λογικά* omisit. Accedit quod ea, quae Valerius de illo Chrysippi opere prodit, ex iis demum intelligi possunt, quae catalogus Laërtii docet. Collectae erant in hoc opere minores quaestiunculae logicae, quae propter parvum ambitum separatis voluminibus edi non poterant; eaeque ad omnes logicae partes pertinebant, unde factum est, ut tota collectio ad nullam e quattuor illis partibus referri posset. Per se intelligitur non uno tempore, sed per singula volumina hoc opus editum esse, quotiens quaestionum conscriptarum summa modici voluminis ambitum aequaret. Inde factum est, ut undequadragessimum idemque ultimum volumen a sene philosopho paulo ante obitum conficeretur. Atque ea re uti potuit auctor Valerii, ut Chrysippi constantiam usque ad mortis limen in labore perseverantis illustraret. Huius igitur operis primum volumen nunc nobis restituit Croenerti industria.

Item ipsius Chrysippi liber vulgo creditur 3. Papyrus Letronnii *περὶ ἀποφατικῶν*, denuo post Th. Bergkium a me editus Vol. II p. 52sq. Atque certum est hanc scriptionem ad Stoicam eamque Chrysippi *περὶ ἀποφατικῶν* doctrinam aliquo modo pertinere. Sed ipsum Chrysippi librum *περὶ ἀποφατικῶν* nos tenere credi non potest. Nihil enim docetur, sed enuntiata negativa ex poetarum libris collecta ad examinandum proponuntur utrum sint *ἀποφατικά* necne. Itaque vi-

dentur haec vel in usum discipuli alicuius scripta esse, ut ille exercitationis gratia sententias poëtarum examinaret, vel quod probabilius videtur ab ipso discipulo scripta. Fortasse magister nihil nisi ipsos poëtarum locos discipulo tradidit iussitque eum ratione syllogistica examinare, num essent ἀποφατικά ἀξιώματα. Atque partim sunt, partim non sunt. Rem propositam ut recte perficeret, oportebat discipulum et ea quae de axiomatis et ea quae de syllogismis Chrysippus docuerat, cognita et perspecta habere. Sed ille valde indoctus fuisse videtur. Nam omnia in suspenso reliquit, cum *val* οὐ et propositionibus minoribus (ταῖς προσλήψεσι) et conclusionibus (ταῖς ἐπιφοραῖς) omnibus adpingeret, postmodo alterum ex illis vocabulis, sive *val* sive οὐ, prout melius visum esset deleturus. Talis scriptio videretur a magistro proficisci potuisse, qui discipulum proprio iudicio usum aut *val* aut οὐ delere iuberet, nisi omnes fere illi syllogismi ita conformati essent, ut nihil concludi posset, si propositio minor affirmaretur. Hanc enim plerique formam habent: εἰ τὸ πρῶτον τὸ δεύτερον· *val*· οὐ· τὸ δεύτερον. *val*· οὐ. τὸ πρῶτον. Patet hac syllogismi forma nihil concludi potuisse, nisi negata secunda propositione. Tum enim κατὰ τὸν δεύτερον Χρυσίππον ἀναπόδεικτον hic syllogismus evadit: εἰ τὸ πρῶτον, τὸ δεύτερον· ἀλλὰ μὴν οὐ τὸ δεύτερον· οὐκ ἄρα τὸ πρῶτον eaque ratione discipulus eas poëtarum sententias agnoscere poterat, quae non essent ἀποφατικά ἀξιώματα. Affirmata autem altera propositione patet nihil omnino concludi potuisse. — Pauci sunt syllogismi κατὰ τὸν πρῶτον Χρυσίππον ἀναπόδεικτον hac forma usi: εἰ τὸ πρῶτον τὸ δεύτερον· *val*· οὐ· τὸ πρῶτον· *val*· οὐ· τὸ δεύτερον: (1), 2, 12, 14, 15, 22. In his igitur scriptor id enuntiatum, quod ei ad examinandum erat propositum, λήγον posuit ἐν τῷ συννημένῳ i. e. in propositione maiore. Haec forma erat ex usu, ubi propositio minor (ἡ πρόσληψις) affirmari poterat. Negata enim nulla omnino evadit conclusio. Mirum vero accidit, quod iis tantum locis hac forma usus est, quibus propositionem minorem negari oportebat. Itaque cum tanta appareat in tota scriptione scriptoris inscientia, a Chrysippo certe non profecta est, acutissimo logicae auctore. Atque cum tota ratio vitiosa sit, dubitari potest, num singula, quae in papyro exstant, errata corrigere liceat. — Quae cum ita sint, erunt fortasse qui omnino hunc libellum in Chrysippeorum syllogen a me recipiendum fuisse negent. His vero non assentior. Insunt enim in hoc libello, quamvis pauca pro amplitudine, vestigia Chrysippeae doctrinae. Ad syllogisticam quidem doctrinam nihil lucramur, nisi quod Stoicorum est, lemmatis conditionalibus plerumque uti; quae vero de axiomatis Chrysippus docuit, aliquomodo illustrantur. Sed de ipsa doctrina

disputare, non huius est loci. Hoc tantum mihi addendum est, cum libellum ederem, locis quibusdam me erravisse. 1. Erravi quod p. 52 in adn. Bergkii rationem, οὐκ p. 52, 37 delentis, dubiam esse dixi. Est enim verissima. 2. P. 53, 23 inserenda est haec πρόσληψις, quae per errorem omissa est: *ναὶ οὐ ἀντίκειται ἀξίωμα καταφατικὸν τῷ Οὐκ ἦν — — ἀτιμία.* 3. P. 56, 3 secundum οὐ (ante *Εὐριπίδης*) nunc mihi videtur delendum esse.

Restat illa papyrus Herculanensis 1020, quam in Herma XXV p. 473sq., ad Chrysippum rettuli. Atque quae in illa commentatione dixi, etiam nunc probo. Probabile enim puto ipsius hunc esse librum Chrysippi, e quo etiam Arius Didymus apud Stobaeum ecl. II 111, 18 W. (Vol. III n. 548) hausisse videtur.

Fragmenta Chrysippi primus collegit Baguetus anno 1822 in Annalibus Academiae Lovaniensis. Hic liber nullam fere utilitatem mihi praebuit. Voluit enim Baguetus ea tantum fragmenta Chrysippi colligere, quae adscripto philosophi nomine leguntur; ego vero ab Usenero monitus longe aliam rationem secutus sum, quam supra exposui, ut etiam latentia Chrysippeae doctrinae vestigia eruerem. Accedit quod ille omnia fere fragmenta ad certos libros rettulit. Sed constat ex rebus tractatis de sede fragmentorum Chrysippeorum plerumque nihil concludi posse, cum philosophus in multis libris easdem sententias repetere solitus sit. Cf. Vol. II n. 30. Etiam in textibus constituendis neque diligens neque acutus fuit Baguetus. Commentarium quidem addidit ille satis verbosum, quo ipsa fragmenta quasi obruuntur. Mihi magis ex usu visum est, ipsa fragmenta, secundum doctrinae capita ordine quam maxime perspicuo disposita, proponere.

Duorum operum Chrysippi, *περὶ προνοίας* et *περὶ εἰμαρμένης*, reliquias collegit Alfredus Gercke in *Fleckeis. Annal. suppl.* 14 (1885) p. 691sq. Quem optime de illis fragmentis meruisse constat. Erant tamen et in sententiis eligendis (maxime quidem in Alexandri libro, quem de fato scripsit) et in textibus constituendis, quae rectius administrari posse crederem.

De gravissimis philosophiae Chrysippeae fontibus.

Ut collectione testimoniorum, quam in altero et tertio volumine proposui, ii qui in philosophiam Chrysippi inquirunt, recte uti possint, maxime opus est, ut de singulorum fontium indole recte iudicent. Itaque, cum de omnibus auctoribus disputare longum sit, de iis quidem, quibus longe maxima testimoniorum pars debetur, pauca

mihi praefanda esse sentio, ut quo quaeque iure ad Chrysippum rettulerim quaeve fides iis habenda sit, intellegatur.

De Plutarcho.

Plutarchus cum duobus libris contra Stoicos conscriptis permulta Chrysippi fragmenta ita attulerit ut non solum propria philosophi verba sed etiam librorum titulos unde desumpta essent describeret, multa et nomine philosophi et titulo libri omisso, duplex quaestio oritur, altera num ipse Plutarchus tot Chrysippi libros versaverit, altera, quae ex illa priore pendet, num ea quoque quae sine nomine passim afferuntur ad eundem Chrysippum referenda sint. Ac primum quidem per se vix credibile est, tot Chrysippi libros ab ipso Plutarcho tanta diligentia et lectos esse et excerptos, ut discrepantias quae inter locos diversorum librorum longe inter se remotos intercederent, posset animadvertere. Nam quae difficillima fuit vel ipsis Stoicis Chrysippeorum lectio, eam alius disciplinae alumno tanto melius cessisse probabile non est. Ut igitur nostratium philosophorum doctrinas quidem norunt quicumque liberalibus artibus eruditi sunt, libros quorundam, qui spinosa disserendi ratione utuntur, ne docti quidem, ita Chrysippus ex eis auctoribus videtur fuisse qui a plurimis eruditorum omnino non legerentur neque ab ipsis philosophis nisi doctioribus. Huius rei documento sunt Ciceronis scripta philosophica, quae nullam ipsorum Chrysippi librorum notitiam produnt, documento sunt Senecae dialogi et epistulae, quibus cum assiduam recentiorum philosophorum lectionem redoleant, nullum vestigium inest studii diligentioris in Chrysippo collocati. Testis est Epictetus in Arriani Epictetis (I 4, 6), eos Stoicorum alumnos qui multos Chrysippi libros legissent eosque qui sine praeceptore Chrysippum legere animo valerent, hac re exsultare solitos esse tamquam multum in sapientia profecissent. Atque in scholis quidem Stoicorum eadem aetate discipulos explicandis Chrysippi verbis exercitatos esse, idem Epictetus saepius testatur, sed quid hoc ad Plutarchum? At ne hos quidem Chrysippi lectione studia inaugurasse arbitror, sed primum introductiones quasdam arcessivisse (Epictet. diss. II 16, 34: *Εἰσαγωγὰς ἔπραξά τινες καὶ Χρυσίππειαν ἀνέγνων* cf. ibid. 17, 40: *καὶν πάσας τὰς εἰσαγωγὰς καὶ τὰς συντάξεις τὰς Χρυσίππου μετὰ τῶν Ἀντιπάτρου καὶ Ἀρχεδήμου διέλθωμεν*) quales et tunc permultas exstitisse credibile est et nos etiamnunc habemus Dioclis apud Diogenem et Arii Didymi apud Stobaeum exempla. Sed de his quidem alio loco fusius erit disputandum. Plutarchum certe tam diu et tam diligenter Chrysippo operam dedisse, credi non potest. Neque Galeni exemplo id tueri possis, quem

complura Chrysippi scripta ipsum legisse constat. Nam inde a Galeni tempore tales libros, qualem „de Hippocratis et Platonis placitis“ ille condidit, quibus toti adversariorum libri per singula enuntiata impugnarentur, valde in more fuisse, etiam Alexandri de fato, Origenis contra Celsum vel, si ad inferiora etiam tempora descendimus, Cyrilli contra Julianum aliisque patrum ecclesiae libris monstratur. At multo diligentiore et assidua magis lectione opus erat, ut talia conderentur, qualis Plutarchi de repugnantibus Stoicorum libellus exstat. Sed ipsam librorum Plutarcheorum formam examinemus, si forte inde quaestio dirimi possit. Ac primum quidem de ordine et conexu sententiarum, postea de rebus a Plutarcho tractatis quaeremus. Quodsi proprio Marte Plutarchus cum Stoicis confligeret, aut omnia, quae ex Chrysippi libris excerpterat, certo quodam ordine digessisset aut singulas repugnantias nullo ordine coacervare satis habuisset. Quae vero per librum de repugnantibus regnat ratio ut partim in ordinem res digerantur, partim inordinatae et inconexae relinquantur, eam a sani scriptoris mente abhorreere iudicamus, qui quidem in tota libri conformatione a se ipse pendeat. Quae libri forma ut accuratius intellexeretur argumentum per capita esset enarrandum, sed exemplis rem ostendere sufficiet. Quae igitur inde a cp. 31 usque ad 40 crimina proferuntur, exemplum praebent disputationis suo ordine apte decurrentis: nam *ὁ περὶ θεῶν λόγος* his capitibus ita examinatur, ut tres illae divinitatis qualitates, *τὸ εὐποιητικόν, τὸ ἄφθαρτον, τὸ μακάριον* deinceps tractentur. Antecedunt autem theologiam ethica inde a cp. 11, quae tamen haud raro alienis interrumpuntur, ut cp. 23, 24 et cp. 28, 29. Nec non cp. 14, 16 quamquam ad ethica pertinent, filum interrumpunt; his enim Plato et Aristoteles a Chrysippi reprehensionibus defenduntur, quo vinculo res alioqui diversas scriptor comprehendit. Iam cum etiam cp. 24 et 29 eiusdem disputationis vestigia appareant, quam alio libro longius se persecutum esse ipse Plutarchus testatur 1040 D (*ἃ μὲν οὖν ῥητέον ὑπὲρ Πλάτωνος ἐν ἄλλοις γέγραπται πρὸς αὐτὸν*), his autem omissis cetera *τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ περὶ σοφίας καὶ κακίας λόγον* contineant, duos fontes a Plutarcho adhibitos esse suspicamur. Neque enim ordinem, quem ipse instituerat, aliena inserendo turbasse censendus est. Accedit quod, cum altero libro, qui „de communibus notitiis“ inscribitur, eadem fere ethica et theologica Stoicorum placita ita impugnentur, ut pleraque „repugnantiarum“ capita cum aliquo „communium notitiarum“ capite simili comparari possint, — eorum quae additamenta esse docui in altero libro nec vola nec vestigium exstat. Iam ad ipsas res a Plutarcho tractatas pergamus. Quo loco hoc statim mo-

nendum est, tot refutationes placitorum Stoicorum, et acumine et numero insignes, non videri ab ipso Plutarcho proprio Marte compositas esse. Num probabile est Plutarchum, hominem doctum et assidua antiquorum lectione imbutum, quae a pristinis Stoicorum adversariis contra illos disputata erant neglexisse? Utrum probabilius est acutissimas Chrysippi et Antipatri refutationes easque maxime quae ad verba magis illorum quam ad rem spectant, post complura saecula inventa esse an ab ipsis illorum aequalibus et adversariis acerrimis? In libro de comm. not. cp. 27 extr. post longiorem disputationem, quae ad Stoicam *περὶ τέλους* doctrinam pertinet, haec addit Plutarchus: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν εἰσιν οἱ πρὸς Ἀντίπατρον οἰονταὶ λέγεσθαι, μὴ πρὸς τὴν αἴρεσιν*. Quid igitur? nescitne ipse Plutarchus quem philosophum impugnet? Famane accepit, ad cuiusnam philosophi doctrinam spectent argumenta ab ipso excogitata? Patet, ni fallor, hoc modo non posse loqui nisi eum, qui argumenta ab aliis tradita et accepta prodit.

Hinc ad aliam rem eamque gravissimam facilis transitus. Scilicet mirum est, quod praeter ipsum Chrysippum unius fere Antipatri doctrina compluribus locis spectatur. Nam exceptis primis „repugnantiarum“ capitibus ne Zeno quidem et Cleanthes respiciuntur, eorum qui post Antipatrum fuerunt nulla omnino mentio occurrit. Quod quale sit ut accuratius intellegatur, facit locus imprimis memorabilis de repugn. cp. 38, ubi Plutarchus verba Antipatri affert ex libro de diis, quibus omnes philosophos diis *ἀφθαρσίαν* tribuisse testatur. Dein Plutarchus haec verba infert: *οὐδεὶς οὖν ἐστὶ τῶν πάντων ὁ Χρῦσιππος κατ' Ἀντίπατρον· οὐδένα γὰρ οἶεται πλὴν τοῦ πρὸς ἀφθαρτον εἶναι τῶν θεῶν*. Quibus verbis egregium acumen inest, si ab aequale Antipatri contra Antipatrum et Chrysippum, nullum fere si contra sectam Stoicorum dicta sunt. Nam Chrysippus carpitur, quod ea, quae nemini philosophorum placuisse ipsius discipulus prodat, docuerit, Antipater carpitur quod principem scholae suae auctorem neglexerit. Tales igitur cavillationes cum personas, non rem spectent, ab aequalibus profectas esse consentaneum est.

Iam quod antea diximus, argumenta a Plutarcho prolata non potuisse ex ipsius officina prodire, etiam singulis exemplis probabimus. Conferendum igitur „comm. notitiarum“ cp. 35, quo de igne mundi semine agitur (*τὸ σπέρμα πλέον εἶναι καὶ μείζον ἢ τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτοῦ*) cum Philonis personati de incorr. mundi cp. 19 p. 257, 7sq. Bern., ut intellegatur vetusto argumento Plutarchum uti; nam quae hoc capite continentur Peripatetico primi a. Chr. saeculi tribuenda esse, demonstravi in Wilamowitzii Quaestionum philologicarum tom. XI.

Conferenda porro ea, quae Cicero in tertio de natura deorum (i. e. Clitomachus) cp. 26—40 contra providentiam Stoicorum deorum disputat cum iis quae utroque libro Plutarchus exhibet „comm. notitiarum“ cp. 31—34 „repugnantiarum“ cp. 30—37. Nam cum universa pugnandi ratio conspirat, tum singula quaedam notari possunt, quae eundem utriusque commentationis auctorem quasi digito monstrant. Velut in utroque Plutarchi libro (de comm. not. cp. 33, de repugn. cp. 31) cum in stultitia summa secundum Stoicos miseria sit, omnes fere homines stultos, immo insanos esse a providentia alienum demonstratur. *Εἰ γοῦν οἱ θεοὶ μεταβαλλόμενοι βλέπειν ἐθέλοιεν ἡμᾶς — οὐκ ἂν δύναιτο διαθεῖναι χεῖρον ἢ νῦν ἔχομεν.* Cf. Ciceronis verba cp. 32, 79: „Nam si stultitia — — — immortalibus dicitis“ et cp. 28, 71 „Quid enim potius hominibus dedissent, si iis nocere voluissent?“ — Porro conferatur Ciceronis cp. 36 de virtute non a diis data et de Iovis nominibus cum verbis Plutarchi de repugn. cp. 31 *Εἴπερ οὖν ὁ θεός* etc. et comm. not. cp. 32 inde a verbis *εἰ δὲ ἀναιροῦσι* usque ad finem capituli.

Plures etiam inter utrumque scriptorem similitudines possim ostendere; sed quae adhuc protulimus sufficiunt, ut ceteras quoque argumentationes non ab ipso Plutarcho inventas esse probetur. „Repugnantiarum“ cp. 10 Plutarchus iudicium fert de duobus Chrysippi libris, quibus τὴν *Συνήθειαν* altero impugnaverat, altero defenderat; *ἐκεῖνο δὲ ἀληθὲς ὅτι βουλευθεὶς αὐθις συνειπεῖν τῇ συνηθείᾳ ἐνδεέστερος γέγονεν ἑαυτοῦ καὶ τὸ σύνταγμα τοῦ συντάγματος μαλακώτερον.* Quodsi ipsius Plutarchi hoc esse iudicium opinaris, cf. Cic. Acad. priora II 27, 87 „ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse“ et ibidem 24, 75.

Multa quoque apud Alexandrum inveniuntur cum in quaestionibus ceterisque scriptis minoribus tum in commentariis quae cum Plutarcheis aliquatenus conspirent, ut quaest. I 14 *ὅτι καθ' οὗς μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν ἐστίν, οὐδὲν οἱ θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις παρέχουσιν ἀγαθὸν* cum loco supra memorato, quaest. I 4 de fato cum „repugn.“ cp. 46 et multa quae enumerare longum est. Cum vero Alexandrum ex Plutarcho hausisse et per se et propter rationem similitudinis cogitari nequeat, quae ad materiam magis quam ad formam argumentationum pertinet, immo probabile sit pleraque antiquiorum Peripateticorum et Academicorum libris Alexandrum debere, haec quoque suspicionem nostram confirmant. Unum etiam Galeni locum addere libet de Hippocr. et Plat. plac. IV p. 351 Mü. En ipsa Galeni verba: *Περὶ δὲ τοῦ μὴ φροντίζειν τῆς πρὸς ἑαυτὸν ἐναντιολογίας αὐτὸν (scil. τὸν Χρῦσιππον) ἔχων ἐτι μύθια λέγειν, ἃ τάχα ἂν καὶ ὕστερον, εἰ*

μακροτέρας ἐπιλαβομένην σχολῆς, εἰς μίαν ἀθροίσαιμι πραγματείαν ἅπαντα, παραλιπὼν τὰλλα μόνων τῶν οἰκείων τοῖς νῦν προκειμένοις μνημονεύσω. Nī fallor id quod Galenus se postea facturum promittit, plane idem est quod fecit Plutarchus in libro de repugnantiis, quem exceptis primis octo capitibus ad unum Chrysippum pertinere supra monui. Neque facile adducor ut credam, hanc rem Galenum nullo praeter ipsum Chrysippum fonte adhibito tractaturum fuisse. Noverat sine dubio cum verba illa chartae mandabat, fontem inexhaustum, unde agros suos irrigari posse sperabat. Sed fontem illum non puto fuisse quem nos legimus librum Plutarchi, quippe qui de Stoicorum, non de Chrysippi repugnantiis inscriptus sit et pauca tantum ex toto doctrinae orbe comprehendat ad moralem philosophiae partem pleraque spectantia. At Galeno eiusmodi fons circumspiciendus erat, qui naturalem quoque philosophiae Chrysippeae partem impugnaret.

Ne id quidem neglegendum est quod tot loci Chrysippeī iidem in utroque libro afferuntur. Nam si omnium librorum thesaurum ad manus habebat, cur ad eosdem semper locos revolvitur? Pendeat nimirum a delectu, quem auctor ille vetustus fecerat. Hae fere causae sunt, cur Plutarchus non ex ipso Chrysippo sua omnia hausisse, sed cum verba Chrysippi tum refutationes apud alium auctorem invenisse videatur.

Iam ut qualis ille fons fuerit indagetur, primum de tempore eius videndum est. Atque ex eis quae de Antipatro supra disputavimus sequitur, ut de aequali illius cogitetur. Quod vero ad sectam auctoris attinet, quin Academicus fuerit dubitari non potest. Nam Academico Diadumeno Plutarchus in „com. notit.“ personam tribuit refutatoris, neque alius sectae patrono tribuere poterat, cum tota refutandi ratio scepticam magis quam dogmaticam speciem praebeat. Semper enim mera adversariorum refutatione scriptor contentus est, nunquam ad propriorum placitorum demonstrationem progreditur. Neque meliore exemplo adumbrari potest, quid Sextus dicat εἰς ἄλλοτρίαν ὕλην ἐμβαίνειν καὶ ἐπὶ συγχωρήσει τῶν ἑτεροῶς δογματιζομένων ποιεῖσθαι τοὺς λόγους (adv. math. IX 1). Hanc autem impugnandi rationem Carneadis et Clitomachi propriam fuisse Sextus testatur. Carneadem autem Academicorum longe nobilissimum Antipatri Stoici aequalem fuisse constat, cuius disputationes litteris mandavit Clitomachus (Diog. Laërt. IV 10). Hunc igitur a Plutarcho compilatum esse suspicor. Cui suspicioni favent, quas cum Ciceronis de nat. deorum lib. III Plutarcho similitudines intercedere dixi. Hunc enim Ciceronis librum e Clitomacho potissimum haustum esse, communis opinio est. Nec refragatur Peripateticus Philonis personati, immo magnam argumen-

torum partem, mutatis videlicet quae minus apta viderentur, ex altera schola in alteram transmigrasse arbitror.

Iam de altera quaestione videamus, quam cohaerere cum illa dixeram: quomodo iudicandum sit de tempore et auctore sententiarum Stoicarum quae a Plutarcho sine nomine afferuntur. Si igitur vera sunt quae ante disputavimus, valde est verisimile, pleraque omnia Stoicorum placita quae apud Plutarchum exstant, ad antiquiorem scholae aetatem esse referenda. Nam quamquam per se fieri potuit, ut Plutarchus quae ex fonte illo hauserat, ex recentioribus fontibus atque sua ipsius aequalium Stoicorum notitia amplificaret, multo tamen probabilius est in omnibus eum a fonte illo pendere. Neque rerum ipsarum indoles atque natura huic opinioni refragatur. Ne Diogenis quidem aut Antipatri multa videntur inesse, quamquam Antipater aliquoties spectatur, Panaetii, Hecatonis, Posidonii nullum vestigium detegere potui. Itaque non multum a vero aberrabit, qui omnia Plutarchi de Stoicorum placitis testimonia ad Chrysippeam philosophiam rettulerit.

Atque eadem fere est eorum natura quae in aliis libris Plutarchus Stoicorum placita profert. Ita quae in libro *περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου* etc. a Pharnace Stoico de luna proferuntur, videntur Chrysippea esse. Nam quod Aëtius Plac. II 25,5 Posidonium nominat mixtae ex igne et aëre lunae auctorem, hoc nequaquam illam opinionem probat Posidonio antiquiorem non esse, cum praesertim ipse Aëtius addat: *καὶ οἱ πλείστοι τῶν Στωϊκῶν*. Quae vero apud Plutarchum cp. 6 et 8 de partibus mundi in medium locum urgentibus disputantur, Chrysippi esse aliunde constat. Item in libro qui inscribitur „*περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ*“ quae Stoica insunt Chrysippum redolent, cum ea quae cp. 9—12 argumenta proferuntur, longiorem praebeant eius argumenti explicationem, quod ex ipso Chrysippo (*ἐν τῷ πρώτῳ τῶν φυσικῶν ζητημάτων*) adfert idem Plutarchus de repugn. cp. 43. Haec igitur de Plutarchi Stoicis praefanda erant, quae quod ad pauca moralis philosophiae capita maximam partem spectant valde dolendum est.

Unum addam de fonte illo quem a Plutarcho adhibitum putamus. Nam cum eadem Chrysippi fragmenta, quibus in libro „de repugn.“ Chrysippum secum pugnare ostenditur, in libro „de comm. not.“ usurpentur ut a sensu communi Stoicorum philosophiam abhorrere demonstretur, uno quidem eodemque fonte in utroque libro Plutarchum usum esse suspicamur, hunc vero ita conformatum fuisse, ut eclogae ex Chrysippi libris ante singulas refutationes separatim proponerentur.

De Galeno.

Iam ad Galenum pergamus, qui longe plurima nobis propria Chrysippi verba servavit. Quae ex duobus potissimum Chrysippi libris deprompta sunt (quos ab ipso Galeno lectos esse certissimum est) e libris „de anima“ et „de affectibus“. Atque longe melior est eorum condicio, quae e libro „de anima“ Galenus excerpserit, cum ordinem et conexum sententiarum, qui in hoc libro fuit, ipsa Galeni testimonia secuti possimus recuperare. Videntur autem refutationes, quibus Galenus in libro „de Hippocratis et Platonis placitis“ Chrysippum impugnat, ne ipsae quidem a Galeno inventae esse. Nam quae de notissima illa quaestione, unane sit animi facultas an plures, infinita paene verborum copia a Galeno disputantur, eorum quasi capita et gravissimas sententias apud Plutarchum quoque legimus in libro „de virtute morali“. Unde apparet non iis tantum locis ubi Posidonio se uti aperte significat, sed in tota fere Stoicae psychologiae refutatione ab eodem illo auctore Galenum pendere, Stoicas autem illius aetatis scholas unius fere Chrysippi auctoritatem secutas, Posidonio non multum diligentiae impendisse. Sed Galenus non solum iis, quae contra Stoicos disputavit, nobis utilis fuit, sed etiam iis quae Stoicos secutus de naturali philosophiae parte disputavit. Nam cum Aristotelem in hac philosophiae parte maxime sibi ducem elegisset, multa tamen Stoicorum placita, quae cum Aristotelica doctrina consociari poterant, illi immiscuit. In his igitur Galeni locis colligendis multum laborem consumpsi. Qui quamquam caute adhibendi sunt propter immixtas sive Aristotelis sive ipsius Galeni sententias, tamen haud raro utilitatem praebent.

De Alexandro Aphrodisiensi.

Ad Alexandrum pergo Aphrodisiensem, qui in hac quidem re cum Plutarcho atque Galeno conspirat quod, ubicunque Stoicos impugnat, Chrysippum praeter ceteros adversarium sibi deligit. Quod de libris *περὶ τῆς εἰσαγωγῆς καὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν* et *περὶ μίξεως* omnibus notum est, neque minus verum esse arbitror de Quaestionibus, de anima libri mantissa, commentariis denique Aristotelicis. Alexander igitur nusquam fere discrepantias respicit, quae inter magnos Stoeae veteris auctores intercedebant, unam agnoscit Stoicorum doctrinam quae, ubi fragmenta ipsius Chrysippi exstant, Chrysippea agnoscitur. Cuius rei exempla qui collectionem meam perlustraverit, haud pauca inveniet.

Neque id dico Alexandrum, philosophum in primis doctum, alios

praeter Chrysippum Stoicos non cognitos habuisse. Immo saepius Stoicorum discrepantias adnotat, sed historiae magis studio ductus. Ubi vero data opera Stoicorum doctrinam impugnat, Chrysippum sibi adversarium deligit, cuius doctrinam ab omnibus fere suae aetatis Stoicis receptam summa auctoritate florere intellegebat. Itaque non temere facere videbimur, si omnia Alexandri de Stoicis testimonia, quae cum Chrysippi doctrina non pugnant, ad ipsum Chrysippum rettulerimus. Atque magna fides habenda est viri doctissimi et acutissimi testimoniis, qui et ipsa Chrysippi verba multis locis servavit, et quae suis verbis enarrat, ad sententiam accurate reddere solet, neque per insecitiam neque per odium, quamvis pugnandi studio ardeat, depravata.

Ut igitur paucis comprehendam quae de Plutarcho, de Galeno, de Alexandro disputavimus, apparet inde ab altero p. Chr. saeculo in scholis Stoicorum unam fere Chrysippi auctoritatem viguisse. Nam tres illi auctores de quibus locuti sumus scholasticos sui temporis Stoicos impugnant.

De Stoicis popularibus.

Plane alia est eorum Stoicorum ratio quorum ex eadem aetate vel libri vel fragmenta saltem ad nos pervenerunt, Musonium dico, Arrianum (Epictetum), M. Antoninum. Nemo enim ex his ad scholasticam doctamque traditionem se applicuit. Unde fit ut ad Chrysippum restituendum nullum fere usum praebeant. Schola enim Stoicorum inde ab Augusti temporibus talis fuit, qualem Peripateticorum inde ab Andronico fuisse scimus, cum in intellegendis magis explicandisque veterum auctorum libris quam in vero investigando occuparetur; quae vero nova exstitit primo p. Chr. saeculo Stoica philosophia, non iam scientiam captat, doctrinam etiam odio persequitur, paucis vero ex antiquo placitorum thesauro sententiis selectis, quas iterum iterumque auribus audientium inculcat, ut tritissimum illud: οὐδὲν ἐφ' ἡμῖν εἶναι πλὴν τῆς χρήσεως τῶν φαντασιῶν, reformandis populi moribus tota inservit.

De Seneca.

Atque hoc in Seneca maxime videtur memorabile esse quod quasi in confinio positus utriusque philosophiae generis tum doctis veterum studiis incumbit, tum contra subtilem veri investigationem, quae moribus emendandis nullum ferat subsidium, ita declamat, ut Musonium Epictetumve audire tibi videaris. Itaque multa in Senecae libris maximeque in epistulis exstant, quae nobis utilissima sint, cum e

librorum antiquiorum lectione pendeant, plura tamen quae cassa sint veteris doctrinae memoria. Sed ne illa quidem quae ad priorum temporum exemplaria effingit, iis comparanda sunt, si fidem spectes sinceritatemque, quae acerrimi illi Stoeae adversarii, Plutarchus, Galenus, Alexander nobis suppeditant. Illi enim et Chrysippum maxime impugnaverunt et genuinam illius memoriam sive ipsis verbis afferendis sive placitis enarrandis propagaverunt, Seneca vero et iis auctoribus se addixit, qui inde a Panaetio Stoicam austeritatem mitiorem reddere et orationis ornamentis condire conabantur, et non tam illorum doctrinam enarrare quam ipse illorum copiis adiutus philosophari voluit. Sunt tamen multa, quae sine excusatione proferre, cum suae aetatis palato non convenient, Seneca vereatur atque ea potissimum nos aucupati sumus. Facile enim plerumque intelligitur, cum aliena mutatur, neque ei, qui ut Chrysippi vestigia detegat Senecam percurrit, magnopere verendum est, ne Chrysippo adscribat, quae ipsius Senecae sunt. Multo magis cavendum est, ne Posidoniana vel Hecatonea recipiamus, quorum permulta fuerunt, quae ad similitudinem veteris rationis efficta essent. Hi enim philosophi, cum in paucis ethicorum locis maximeque in eo qui de officiis est nova excolerent, Posidonius etiam in psychologia, in astronomia, in meteorologia, longe plurima tamen Stoeae veteris placita defenderunt, partim veteres syllogismos repetendo, partim similes eorum excudendo. Ea igitur, quae a mediae Stoeae auctoribus ex suae aetatis ingenio proprio Marte excogitata sunt, facile plerumque a nobis vitari poterant, ea vero quae ad veterum exempla haud pauca effinxerunt, ab iis quae ab ipsis tradita acceperunt raro fit ut discerni possint. Itaque multa ex iis auctoribus, qui a Posidonio pendent, ex Seneca, ex Cleomede, ex Achillis Isagoge in Chrysippeorum syllogen recepi, non quo integram illius doctrinam prodant, sed quod capita a Chrysippo accepta suis inventis Posidonium excoluisse persuasum habebam. Nam si eis reliquiis Chrysippi vellemus contenti esse, quae vel nomine adscripto produntur vel ex ipsius libris diligenter exscripta vel epitomata esse probari possunt, multa quae ad accuratiorem eius cognitionem usui esse possunt, neglecta iacerent. Immo ea quoque recipienda sunt, quae Chrysippea alienis permixta produnt, dummodo memoria teneamus, dubiam esse fidem eorum et auctoritatem. Ac fortasse existent, qui meis excerptis usi aliena quaeque a Chrysippeis secernere valeant. Neque enim fieri potest, ut is, qui tantae latitudinis provinciam solus administret, in singulis ad exactissimam normam omnia absolvat. Haec igitur de iis monita sunt, quae e Senecae, Cleomedis, Achillis libris excerpti.

De Philone Alexandrino.

Diversa ab his et tamen similia sunt Philonis Alexandrini Stoica, quorum permagnum numerum recepi. Philo enim in ea re Senecae similis est, quod ipse quoque a Posidonio et ceteris mediae Stoeae auctoribus nec non ab Antiocho pendet, ut, si hoc spectes, quae de illo diximus, ad Philonem quoque pertineant. Cum vero ad sapientis et insipientis personas Philoneorum maxima pars spectet, quem locum a vetere magis quam a media Stoa excultum esse constat, raro fit ut dubitemus. Alia tamen eaque Philoneorum propria existit difficultas, quod scriptor, nitorem et amplitudinem orationis singulari diligentia captans, reformidat obsoleta et inusitata Stoicorum vocabula. Unde fit ut in Philoneis ad rem magis quam ad verba attendendum sit, quae plerumque a genuino squalore sensim deflectuntur. Hoc quoque monendum est, saepissime hunc auctorem in uno eodemque enuntiato sua alienis permiscere. Cum vero tam manifesta sit Stoicorum placitorum a propriis Philonis cogitatis discrepantia, ut quivis mediocriter rei peritus facile ea discernat, ne monere quidem lectorem¹⁾ in singulis necessarium duximus.

De Cicerone.

Pergo ad Ciceronem cuius in philosophicis auctoritatem in „Epicureis“ examinavit Usener. In hoc igitur maiore etiam cautione opus est, cum ad ipsam Posidonii et Panaetii aetatem prope accedat ideoque a mediae quam vocant Stoeae auctoribus totus fere in Stoicis pendeat. Aliud etiam accedit quod difficultatem augeat. Nam cum Academici aetatis Ciceronianae (Philonem dico et Antiochum) ipsi quoque a Stoicis tam multa mutuati sint, ut ex horum libris Stoicorum placitorum cognitionem Cicero haurire potuerit, fieri potest, ut primum Cicero Academico libro usus esse videatur, deinde Academicum illum mediae Stoeae auctore usum esse ostendamus, hunc denique Chrysippo aliquatenus usum esse appareat. Quo fit ut lubrica via et saepe praerupta per tot medios gradus a Cicerone ad ipsum Chrysippum ascendatur. Neque enim facile discerni potest, quibus in rebus a pristino exemplari primum mediae Stoeae auctor, deinde Academicus, deinde ipse Cicero deflexerit. Exemplum praebet primus

1) Excerpteram olim haec Philonea ex editione Mangeyana; postquam nova editio, a Leopoldo Cohn et Paulo Wendland curata prodiiit, cum hac omnia excerpta contuli. Sed in eo peccavi, quod editionem ubique Wendlandianam dixi, cuius primum et quartum volumen a Leop. Cohn, alterum et tertium a Wendlandio editum est. Cuius erroris veniam peto ab eo viro docto, cuius laudi invitus obtrectavi.

liber de legibus, qui cum ex Antiocho, Stoicorum in plurimis vindice, maximam partem exscriptus sit (vide manifesta Antiochi vestigia §§ 37. 38 impressa maximeque haec verba § 38 „his omnibus haec quae dixi probantur“ ad totam quae praecessit disputationem relata) cum Stoicorum de lege et iure placitis accuratissime si rem ipsam spectes conspirat. Inesse tamen in singulis maximeque in verbis quae a Stoicis aliena sint, probabile est. Iam quonam Stoico auctore Antiochus usus sit, nemo tam audax erit, qui ipso Antiochi libro destitutus extricare conetur. Nam quod res cum Chrysippi de eisdem placitis fragmentis conspirant, nihil fere probat. Potuit sane Antiochus, ut saepe fecit, ipso Chrysippo uti, potuit eorum qui post illum fuerunt librum aliquem arcessere. Sed utut haec res se habet, recte me fecisse arbitror quod in Chrysippeorum collectionem pleraque huius libri argumenta receperim. Nam quae paucis fortasse additamentis aucta, in paucis etiam deflexa, maximam partem Chrysippi esse certissimum sit, ea non par erat apud me desiderari. — De fontibus Tusculanarum disputationum libri tertii et quarti in varias opiniones viri docti discesserunt. De Chrysippo cogitatum est, de Posidonio, de Antiocho, de Philone. Neque huius loci est, meam de tota quaestione sententiam aperire. Sunt tamen in hac quaestione, quae cum nostro opere tam arte cohaereant, ut fieri non possit, quin rem paucis perstringamus. Ac primum quidem videamus de libro tertio. Ubi Hirzelius magnam dedit operam, ut Posidonium a Cicerone non adhibitum esse demonstraret. Cuius rei mihi quidem certa vestigia exstare videntur. Hirzelius vero totum librum, ut ceteros quoque, uni Philoni tribuit. Quod quomodo vir ille doctus persuadere sibi potuerit, non posset intelligi, nisi omnino in ea esset sententia, singulos totos libros ex singulis fere auctoribus esse derivatos. Nam si ex uno auctore totus liber descriptus esset, quomodo explicaretur, quod tres quaestiones inter se diversae a Cicerone per hunc librum ita permiscerentur, ut quam quoque capite tractet, ipse interdum nescire videatur? Primam dico, num in sapientem cadat aegritudo, alteram de natura et causis perturbationum, tertiam de optima consolandi ratione. Ac primum quidem ita quaestio instituitur, ut de sapiente ab aegritudine remoto actum iri iure tuo exspectes. Hoc enim § 12 ad disputandum proponitur, idemque §§ 14—21 Stoicis eisque, ut ego quidem puto, Chrysippeis conclusiunculis disceptatur. Dein § 22 initio dicit: „Haec sic dicuntur a Stoicis concludunturque contortius. Sed latius aliquanto dicenda sunt et diffusius.“ Promittit igitur se de eadem quaestione i. e. de sapiente ab aegritudine remoto latius disputaturum esse. Sed nequaquam sequentia ad hoc promissum ac-

commodata sunt; immo sapientis plane videtur oblivisci. Cf. § 23 verba extrema, quibus disputatio de natura et causis affectuum inducitur, non ut aegritudinem a sapiente alienam esse probetur, sed ut „medendi facultas“ reperiatur. Itaque secundam quam nos diximus quaestionem incohare videtur, ut tertiae i. e. consolatoriae pro fundamento sit. Tamen ubi § 24, 25 de affectu generaliter deque singulis speciebus definitiones edidit, Stoicas quidem, sed nec Chrysippeas nec Posidonianas, in altera parte § 25 et in §§ 26. 27 primam rursus quaestionem tractat.¹⁾ Apparet autem quae hic declamantur magis quam disputantur cum definitionibus antecedentium paragraphorum nullo sententiae vinculo coniuncta esse, ut cuivis manifestum sit, haec a Cicerone addita esse, quo fontem, qui de prima illa quaestione nihil continebat, ad illam accommodaret. Quod magis etiam eo confirmatur, quod inde a § 28 prima quaestio plane negligitur neque latiora illa, quae § 22 promiserat, usquam inveniuntur. Tandem § 80 dicit: „Sed nescio quo pacto ab eo quod erat a te propositum aberravit oratio. Tu enim de sapiente quaesieras etc.“ Nos quoque nescimus, quod ipse Tullius vel nescit vel se nescire simulat, possumus tamen suspicari, inde hunc longum errorem ortum esse, quod fontem nactus est a re primitus proposita alienum. In iis vero quae intercedunt (§ 28—79), altera et tertia quaestio ita inter se permiscetur, ut tum illam tum hanc tractare videatur. Atque per se quidem valde probabile est, utramque quaestionem in uno eodemque fonte tractatam esse; nam Chrysippus quoque, priusquam medicinam perturbationibus admoveret, de causis eorum et natura agendum esse putavit. Sed oportebat altera absoluta alteram incohari, non, ut Cicero facit, utramque simul tractari. Haec igitur, quae apud Ciceronem regnat, utriusque quaestionis permixtio ex fontium diversorum usu videtur explicanda esse. Accedunt alia. Unde enim tu hoc factum putas, quod adumbratis § 28 Epicuri et Cyrenaicorum de aegritudinis causa sententiis primum quidem de Cyrenaica sententia disputat (§ 29—31), dein his verbis: „sed est iisdem de rebus quod dici possit subtilius, si prius Epicuri sententiam viderimus,“ ad Epicurum transit, cuius sententiam § 32—51 impugnat, § 52 denique ad Cyrenaicos revertitur. Quodsi re vera non nisi explicata ante Epicuri sententia de Cyrenaicis iudicium ferre poterat, cur non statim postquam sententiam utramque breviter adumbravit, ad Epicurum properat? Itaque hic

1) III 25 Sed cetera alias, nunc aegritudinem, si possumus, depellamus. Id enim sit propositum, quandoquidem eam tu videri tibi in sapientem^o cadere dixisti, quod ego nullo modo existimo e. q. s.

quoque duplicem fontem agnoscere mihi videor. Omnis denique dubitatio tolletur, si disputationem quae de Cyrenaicis est diligentius examinaveris. Nam cum § 52 verbis „omnia videri subita maiora“ concesserit, in necopinato multum inesse momenti ad augendam aegritudinem, § 56 contrarium sentit, cum de necopinatis dicat: „non id efficiunt, ut ea quae accidunt maiora videantur; quia recentia sunt maiora videntur, non quia repentina.“ Haec igitur cum adversis frontibus inter se pugnent, non possunt ad unum fontem revocari. Unde fit, ut complures fontes Ciceroni praesto fuisse intellegatur.

Sed missam faciamus nunc eam quae de fontibus est quaestionem cum multo sit intricatior, quam ut hic absolvi queat. Accedamus ad locum § 28, 29, qui utrum Posidonii sit an Chrysippi a multis est dubitatum. Relata enim Cyrenaicorum sententia qui „non omni malo aegritudinem effici censent, sed insperato et necopinato malo“, haec verba adduntur: „Est id quidem non mediocre ad aegritudinem augendam; videntur enim omnia repentina graviora. Ex hoc et illa iure laudantur: Ego cum genui tum moriturum scivi etc. Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris.“ Dein Thesei apud Euripidem in eandem sententiam dicta Cicero in latinum convertit additque ab Anaxagora magistro Euripidem hoc accepisse, quem dixisse ferant: „Sciebam me genuisse mortalem.“ Cum hac igitur disputatione locus confertur Galeni de Hippocr. et Plat. plac. p. 392 M. simillimus (Vol. III n. 482). Atque in eo cardo rei vertitur, Posidonione an Chrysippo Galenus sua debeat. Hoc enim enucleato de Ciceronis quoque fonte constaret. Iam si verba Galeni in libris tradita totumque loci conexum perpenderis, non poteris ea non ad Posidonium revocare, cum et in antecedentibus Galenus dixerit Posidonii contra Chrysippum argumenta se prolaturum esse, et ipsum illud vocabulum *προενδμεῖν* (quod apud Ciceronem „praemeditandi“ voce redditur) Posidonii esse testetur (*βούλεται δὲ τὸ προενδμεῖν ὄημα τῷ Ποσειδωνίῳ* etc.), et in sequentibus (p. 394) ita ad Chrysippum pergat (*καὶ ὁ Χρύσιππος μαρτυρεῖ*), ut antecedentia diversi auctoris i. e. Posidonii fuisse appareat. Sed dubitationes motae sunt de verbis traditis a Bakio, qui (Posid. rell. p. 204), ubi de *προενδμεῖν* vocabulo agitur, Chrysippi nomen pro Posidonii rescribere iussit. Causas non attulit vir doctus neque possunt afferri, nam verba illa ad Posidonii doctrinam non minus apta sunt quam ad Chrysippi. Hoc quoque Bakianae coniecturae refragatur, quod aliam verborum traditionem necessariam reddit; nam, ubi in sequentibus ad Chrysippum oratio pergit, pro *καὶ ὁ Χρύσιππος*

cum Muellero scribendum esset ὁ Χρ. καὶ. Neque duabus his mutationibus res absoluta esset, sed p. 392, 13 ante verba καὶ φησι gravis lacuna statuenda esset. Vide igitur quanto ea ratio Bakiana praestet, qua et p. 393, 3 Posidonii nomen et p. 394, 9 verba: καὶ ὁ Χρυσίππος retinentur, in uno denique loco p. 392, 13 καὶ φησι διότι corruptelae sedes agnoscitur. Nam utut de ceteris praeiudicatum erit, hic semper haerebimus. — Sed iam de re quoque agendum est. Cum igitur Chrysippus novam de anima et de affectibus doctrinam proposuisset, id tamen egerat, ut cum Zenone scholae principe se consentire probaret. Itaque et generales affectus definitiones, quae a Zenone excusae erant, in suo libro defendit, et hanc aegritudinis definitionem: δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας, ipsam quoque Zenoneam (ut probant Galeni verba p. 391: ὁ γοῦν ὅρος οὗτος ὁ τῆς λύπης, ὥσπερ οὖν καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν παθῶν ὑπὸ τε Ζήνωνος εἰρημένοι καὶ πρὸς τοῦ Χρυσίππου γεγραμμένοι) probaverat. Sed praeter veteres definitiones, quibus in honorem Zenonis patrocinabatur, ipse suas excudere solebat, ad suam doctrinam diligentius expressas. Ipse igitur putavit, non omnis mali opinionem esse aegritudinem, sed magni mali vel, quod idem est, mali quod angore dignum videretur (ἐφ' ᾧ καθήκει συστέλλεσθαι). Haec igitur definitionis forma et apud Didymum (Stob. II p. 90, 14 W.) et apud Andronicum (Kreuttner p. 12, 1) et apud Ciceronem (Tusculan. IV 7, 14, nam de III 11, 25 postea videbimus) occurrit. Chrysippeam esse Posidonii apud Galenum refutationes probant. Cf. p. 392, 1: καὶ τοι οὐδὲ τὸ πρόσφατον ἐχρῆν ἐγκεῖσθαι κατὰ τὸν ὅρον, εἴπερ ἀληθῆ τὰ Χρυσίππου, κατὰ γὰρ τὴν γνώμην αὐτοῦ μᾶλλον μέγαλον κακοῦ ἢ ἀνυπομονήτου ἢ ἀκαρτερήτου, καθάπερ αὐτὸς εἶωθεν ὀνομάζειν, τὴν λύπην εἰρησθαι ἔδει δόξαν, οὐ πρόσφατον. Apparet αὐτοῦ illud et αὐτὸς non nisi ad Chrysippum referri posse. Cf. etiam p. 369 et 370 maximeque haec Posidonii verba contra Chrysippum pugnantis: εἰ γὰρ τὸ μέγεθος τῶν φαινομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν κινεῖ τὸ νομίζειν καθήκον καὶ κατὰ ἀξίαν εἶναι παρόντων αὐτῶν ἢ παραγενομένων μηδένα λόγον προσέεισθαι περὶ τοῦ ἄλλως δεῖν ὑπ' αὐτῶν κινηθῆναι. — Apparet igitur simpliciore illam definitionem (δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας) non esse propriam Chrysippi, ab ipso inventam, sed Zenonis. Unde efficitur id agere Posidonium, ut Zenonis definitionem a Chrysippi doctrina abhorreere comprobet. Illud enim „πρόσφατος“, quod definitioni additum sit, non esse ad Chrysippi placita accommodatum. Significari hoc additamento res, dum recentes sint, affectum movere, ubi inveteraverint vel nullum vel valde exiguum. Hoc autem non posse explicari ab eo, qui ipsam opinionem affectum putet: opinionem enim ipso temporis decursu, nisi alia accedant, non mutari.

Hic eorum exemplo usus est Posidonius, qui longa malorum praemeditatione vim affectuum deminuunt. Neque enim id meditatione efficiunt illi, ut mala non iam mala videantur, sed ut propter longae cogitationis consuetudinem minore vi animum percellant. Hoc etiam Chrysippum alio loco concessisse Posidonius ostendit, de causa vero huius rei nihil certi protulisse (ὅτι δὲ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη, καὶ αἱ δόξαι μίνωσι, τοῦ κακὸν τι αὐτοῖς γερονέναι καὶ ὁ Χρύσιππος—μαρτυρεῖ etc.). Iam igitur reputa, quaeso, utri philosopho verba illa apud Galenum p. 392, de quibus ambigimus, aptiora sint, Chrysippo an Posidonio. Apparet nī fallor ἄσκησιν et ἐθισμόν (his enim verbis illo loco Galenus utitur) non potuisse a Chrysippo causas afferri, quibus affectus minuerentur. Consuetudo enim et exercitatio valent ad perferendam melius miseriam, non valent ad mutandam opinionem. Itaque nunc puto locum illum Posidonianum esse neque quidquam mutandum, nisi quod p. 392, 13 pro διότι scribendum est διὰ τί. Atque iniuria in fragmentorum collectionem Vol. III n. 482 illum locum me recepissem et in adnotatione Bakianae coniecturae me ad sensum esse fateor. Iam ad Ciceronem redeamus, apud quem quae Cyrenaicorum sententiae adduntur § 28sq. propter Galenei loci similitudinem ipsa quoque Posidonio tribuenda sunt. Nam quamquam Hirzelio concedendum est, ex eorundem locorum poeticorum usu per se non posse eiusdem fontis usum demonstrari, hic tamen plures loci utrimque ita coniuncti inveniuntur, ut ad eandem rem spectent. — Atque supra iam monui, mirum videri, quod de Cyrenaicorum sententia duobus locis agitur. Iam patet inde hoc factum esse quod Cicero locum e Posidonio arreptum loco haud idoneo inseruit.

Iam in alium locum inquirendum est, ubi iterum Posidonius et Chrysippus de possessione litigant, § 24, 25 affectuum definitiones. Atque hoc quidem longiore disputatione non eget, sed per se intelligitur, errasse eos, qui definitiones illas ad Posidonium referrent; adversis enim frontibus cum doctrina Posidoniana pugnant. Magis videntur ad Chrysippi placitum accommodatae esse. Nam quod proprium est earum, „magni“ illud, (quod „boni“ vel „mali“ notionibus additur) a Chrysippo usurpatum esse, nostra disputatio probabile reddidit. Tamen ex ipso Chrysippo haec non possunt esse descripta. Nam quod causam affectus in opinione esse eundemque boni aut mali opinione citari statuitur, alienum est ab eius sententia, qui affectum ipsum opinionem esse docuit. Ac ne forte tibi fingas ipsum Ciceronem indiligenter Graecum exemplum expressisse cf. Didymi definitionem apud Stobaeum II 7 p. 90, 14 λύπην δ' εἶναι συστολήν ψυχῆς ἀπειθῇ λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατον κακὸν παρεῖναι,

ἐφ' ᾧ καθήκει συστέλλεσθαι. Falso hic „*πρόσφατος*“, quod ad *δόξαν* apud veteres auctores pertinebat, cum voce „*κακόν*“ coniunctum est. Sed hoc leve. Gravius est, quod opinio illa qualem Chrysippus aegritudinem descriperat, causa affectus inducitur. Deprehendimus hic Stoicum quendam recentiorem, qui inter Zenonem et Chrysippum quasi medium ferire voluit, utriusque definitiones inter se coniungendo. Idem igitur ad Ciceronis fontem pertinet, qui usus est Chrysippo, sed non accurate eum expressit. Metus quidem et aegritudo opiniones magni mali esse dicuntur; sed hoc e negligentia magis Ciceronis, quam ex diversorum fontium usu esse explicandum videtur. Ea quoque re a Chrysippo Tullianae definitiones discrepant, quod „*πρόσφατος*“ illud plane negligitur; nam quod ad aegritudinis definitionem („opinio magni mali praesentis“) postea additur: „et quidem recens opinio talis mali ut in eo rectum videatur esse angī“, a fonte Tullii hoc additamentum alienum esse certum est, siquidem in fonte affectus non opiniones esse, sed opinionibus citari dicebantur; qua re illud additamentum excluditur. Nam opinio, quae causa fuit ipsius affectus, „recens“ dici non poterat. Cur autem Cicero ea addiderit, facile intelliges, si contuleris § 62sq., quibus haec definitionis pars pro fundamento est. Illa enim, ut prima § 62 verba comprobant, cum antecedentibus non cohaerent, cum opinioni illi (scil. ad officium pertinere, rem aegre ferre) non efficiendae sed augendae perturbationis vis tribuatur. Confer etiam § 28 haec verba: „Atque hoc quidem perspicuum est, tum aegritudinem exsistere, cum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur.“ Haec enim ad illas definitiones voluptatis et cupiditatis § 24, 25 accomodata sunt, et ex eodem fonte petita esse videntur, additamenti illius nullum praebent vestigium. Habemus igitur auctorem, qui in magnitudine mali opinati plurimum momenti posuit eiusdemque vestigia aliis quoque huius libri locis apprehendimus. Idem necopinata et subita maiora videri putavit, quod in his tempus deficeret de magnitudine recte iudicandi (cf. § 52 „quod quanta sint, quae accidunt, considerandi spatium non datur“). Quod vero vel praemeditatione vel simplici temporis decursu perturbatio minuitur, hoc inde explicavit, quod cogitatione diuturna, sive antecedit sive insequatur, ad verum de magnitudine mali iudicium homines perveniant. Cf. § 58, 59 ubi haec verba maxime sunt memorabilia: „intellecto eo quod rem continet, malum quod opinatum sit maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere.“ Patet hanc doctrinam Posidoniana quam supra adumbravimus esse contrariam. Is enim consuetudinem et exercitationem causas attulerat perturbationis praemeditatione mitigatae. Hic vero patronus exstitit

Chrysippi, dum in ipsa opinionis mutatione causam inesse docet. Ea vero quae § 55 dicuntur: „feriunt enim fortasse gravius; non id efficiunt, ut ea quae accidunt maiora videantur“ cum Posidonii doctrina accurate concinunt, qui in magnitudine mali opinati, ut e Galeno cognitum habemus, nihil momenti posuit, multum in consueto vel in-sueto. Magnitudinis enim opinione non mutata homines paulatim malis assuescere iudicavit. Sed verbis illis quae e § 58 supra ex-scripsimus etiam notam impressam esse puto certi cuiusdam auctoris. Nam cum idem sit sine dubio, cui Stoicas definitiones § 24, 25 Tul-lius debet, tamen vitam beatam non omnibus malis carere, sed mino-rum quorundam malorum participem esse docet. Is igitur fuit, qui vitam beatam a beatissima distingueret. Iam cum initio cap. 25 Anti-ochus laudetur de re leviori quidem per se, sed cum antecedentibus tam arte coniuncta, ut divelli nullo modo queat, nec non in sequen-tibus paragraphis eiusdem scriptoris vestigia cernantur (cf. § 61: „causa aegritudinis; est enim nulla alia nisi opinio et iudicium magni prae-sentis atque urgentis mali“), Antiochum fuisse Ciceronis fontem pro certo habeo. Iam optime explicatur, cur in magnitudine mali opinati tantum momenti ponatur et ex compluribus Chrysippi definitionibus eae deligantur quae „magni“ notionem contineant. Antiochus enim nequaquam is erat, qui, praeter vitium nulla mala esse ratus, ita aegritudinem posset sanare, ut mali opinionem maerentis animo totam evelleret; immo parva esse, quae maxima visa sint, haec est ad illius placita aptissima consolandi ratio. — Neque ex his intellectis ad nostram Chrysippeorum collectionem multum utilitatis redundat; tamen fieri non poterat, quin in fontes libri tertii inquireremus, ut intellege-retur ab Antiocho Ciceronem ea accepisse, quae in hoc libro ad Chry-sippi doctrinam proxime accedunt.

Pauciora sunt quae de libro quarto Tusculanarum disputa-turus sim. Aegre fero quod iterum cum Hirzelio, cui permulta me debere confiteor, litigandum est. Neque enim persuasit mihi vir doc-tissimus, ex uno fonte, quae hoc libro continentur, posse derivari. Immo quod § 10 Pythagorae et Platonis de anima rationem se pro-bare simulat, sequentibus vero capitibus definitiones profert Stoicorum, ex Chrysippea philosophia arcessitas, quae cum illa ratione aperte pugnent, certissimum duco fontium diversitatis indicium. Neque dis-putatio illa, qua Peripateticorum mediocritates impugnantur (§ 38sq.), eum decent philosophum, qui omnes affectus falsis opinionibus nasci docuit. Immo hunc longe alia decebat disputandi ratio, ut scilicet opinionis mediocritatem non posse cogitari ostenderet: opinionem enim aut veram esse aut falsam, absurde cogitari de opinione vel medio-

criter vel magnopere falsa. Atqui huius rationis, quae illum definitionum auctorem unice decebat, nullum exstat vestigium; immo a Zenonis definitionibus solis proficiscitur, ut motus animi nimis concitati semper modum excedere comprobet. Itaque definitiones et partitiones §§ 11—33 suum habent et proprium fontem, quod ipse Cicero videtur significare, cum „vela et cursum“ sequentis disputationis distinguit a „scrupulosis cotibus“ antecedentium capitum. Neque hoc mihi persuasit Hirzelius, quod librum quartum cum tertio tam arte coniunctum putat, ut idem utriusque fons fuisse censendus sit. Nam in tertio libro multus est de „magnitudine“ boni vel mali opinati, sine qua perturbationem (aegritudinem) non posse cieri iudicat, a quarto libro haec opinio aliena est. Definitiones igitur perturbationum, quae in tertio et quarto libro proponuntur, non possunt esse eiusdem auctoris. Iam cum in quarto libro altera quidem pars, qua de Peripateticorum agitur mediocritatibus et de curatione perturbationum, paucis exceptis a Chrysippo aliena sit, de fonte illius partis hic quaerere nolo, de priorē parte §§ 11—33 nonnulla addenda sunt. Ac primum quidem cum Hirzelio ea in re me consentire gaudeo, quod a Posidonio haec capita abiudicavit. Eadem videlicet argumenta, quae tertii libri definitiones ad Posidonium revocari non sinunt, hic quoque valent. Nonne igitur ipsum Chrysippum putandus est Tullius arcessivisse, cuius placitis pleraeque sententiae congruae sunt? At sunt quae vehementer hanc coniecturam dissuadeant. Nam et omnino Tullium a Chrysippi lectione alienum fuisse puto propter orationis squalorem et intricatam sententiarum difficultatem, et inveniuntur in illis capitibus quae complurium Stoicorum placita respecta esse ostendant. Cf. § 23 „nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo“ et § 30 „quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis.“ Accedit, quod ea, quae de morbis animi et aegrotationibus §§ 23—32 disputantur, vix possunt ex uno scriptore excerpta esse. Nam quae § 23 incohatur, mox ut minime necessaria omittitur corporis et animi comparatio, eadem ep. 12 in. (§ 27) iterum, ep. 13 in (§ 28) tertium quasi de novo instituitur. Alia enim ratione ep. 12, alia ep. 13 aegrotationis notio explicatur. Itaque, quamquam insunt, quae sine dubio Chrysippea sint, omnia ex solo Chrysippo a Tullio excerpta esse non puto.

Quid igitur de tota disputatione iudicandum? Scio multis eam placuisse coniecturam, qua e compendio triviali haec sumpta esse suspicantur, cui magnopere favet Didymei et Laërtiani compendii similitudo, repugnat in explicandis „morbi et aegrotationis“ notionibus scriptoris ubertas. Talia enim a compendio aliena sunt. Mihi autem

hoc maxime arridet, ut epitomam Stoicae perturbationum doctrinae in ipsius Tullii usum confectam esse sumam, quae ad Chrysippi maxime placita se adplicuerit. Nam praeter cetera haec quoque verba Chrysippi nos admonent (§ 33 in): „Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici: quae logica appellant, quia disseruntur subtilius.“ Atqui Chrysippi tres primi de perturbationibus libri hoc ipso nomine τὰ λογικά comprehendebantur et a consolatorio (θεραπευτικῶν vel ἡθικῶν) libro discernebantur. Valde igitur probabile est eum, qui Ciceroni commentariolum paravit, e Chrysippi titulo hanc locutionem transtulisse. — Ut igitur paucis comprehendam, quae de hac Ciceronis disputatione iudico: non sine fructu est ad cognoscendam Chrysippi doctrinam, ita tamen ut a noviciis additamentis cavendum sit.

Veniamus ad tertium librum „de finibus bonorum et malorum,“ quo Cicero Catonem inducit non solum eum locum qui de finibus est, sed totam fere moralem Stoicorum doctrinam per capita enarrantem. Nam quamquam concedendum est, deesse complures locos — e. gr. de perturbationibus non nisi in transcurso § 35 agitur — tamen si liber aliquis περὶ τέλους pro fonte habendus esset (quae est Hirzelii opinio), quae de singulis officiis fusius disputantur vix possent ad hunc librum referri. Ac mihi quidem Tullius ea Stoicorum moralia placita videtur complecti voluisse, quae e finis i. e. summi boni constitutione penderent, in ipsa vero disputatione non satis quod voluerat perfecisse, cum quaedam accuratius tractaret, quae cum illa nullam fere haberent necessitudinem, ut illa de coniunctione hominum, de amore, de Cynicorum ratione, de amicitia, de iure placita. Hoc igitur optime explicatur, si fontem plura complexum esse ponimus, quam quae ad Ciceronis propositum pertinerent, ipsum vero Ciceronem in delectu rerum errasse. Apparet autem eam fuisse illius fontis indolem, ut certum quendam ordinem servaret, quem Cicero secutus est. Nam ex fonte ordinem sententiarum se transtulisse ipse Cicero significat, quod Madvigius et Hirzelius animadverterunt. Id vero per se non satis apparet, num fons ille philosophi liber fuerit qui ipse in verum inquireret an doxographi qui aliorum sententias in compendium redigeret. Quod ex iis maxime locis diiudicandum est, ubi complurium Stoicorum discrepantes sententiae respiciuntur, nec non ex iis, quibus unum quendam et certum auctorem exprimere videtur. Ex prioris autem generis locis maxime memorabilis est § 68: „Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, siquis eiusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit: alii nullo modo.“ Vide scriptorem scholae dissensum doxographorum

more notantem, ipsum iudicio abstinenter. Alter locus exstat § 57, ubi Chrysippum et Diogenem bonam famam propter utilitatem, eos qui postea fuerint, cum Carneadem sustinere non possent, propter se ipsam praepositam et sumendam putavisse narratur. Priori opinioni additur apud Ciceronem: „quibus ego vehementer assentior,“ quam assensionem num ex fonte transtulerit, ambigimus. Atqui attendendum est, nullam eius causam proferri, posteriorem vero sententiam aliquanto diligentius adumbrari et argumentis illustrari. Mirum quoque, quod statim priori sententiae assensionis significatio adnectitur, posterior refutatione caret. Probabile igitur ipsum hic Ciceronem assensum suum significasse, fontem notare dissensionem satis habuisse. Item in tertio loco § 17 „In principiis autem naturalibus plerique Stoici non putant esse voluptatem ponendam,“ quae adnectitur assensionis significatio, eam a Cicerone profectam puto, cum causa assensionis: „ne si voluptatem natura posuisset in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur,“ parum subtiliter adumbrata sit. Ubi vero cum certorum philosophorum placitis aliunde notis Ciceronis sententiae congruunt, tum Chrysippum, tum Diogenem, tum Antipatrum sequuntur, ut auctor ille delectum fecisse ex antiquiorum placitis, non ipse sui ingenii viribus fretus in verum inquisivisse videatur. Cum his indiciis etiam illud concinit, quod referendi magis quam disputandi forma multis locis conspicua est, quamquam Catonem utpote Stoicum disputatione potius uti decebat. Unde fontis auctorem item narravisse, non disputavisse probabile redditur. Quae omnia, cum Madvigii et Hirzelii disputationibus hic liber satis illustratus sit, breviter monere satis habeo. Puto igitur, ut tandem ad finem veniam, totam libri tertii conformationem non favere ei coniecturae, qua e clari cuiusdam philosophi libro excerptus esse creditur. Nam si e. gr. ex Hecatone derivatus esset, aliquid saltem ex propriis Hecatonis placitis conspicuum esset, cuius generis nihil protulit Hirzelius. Cum vero de Chrysippo, de Diogene, de Antipatro, de Panaetio, de Posidonio non posse cogitari ipse Hirzelius ita ut nihil contra dici possit demonstraverit, epitoma ex complurium philosophorum scriptis conflata hic quoque Tullium usum esse persuasum habeo. Sed utut haec res se habet — nam brevius quaestionem tractavimus quam ut omnes dubitationes profligarentur — quod ad nostrum propositum gravissimi momenti est, etiamsi de persona auctoris dubitetur, satis intelligitur: doctrinam Chrysippi totius disputationis quasi fundamentum esse, singula vero placita e Diogene quaedam et Antipatro accessita. His igitur omissis ea tantum, quae aliis testimoniis Chrysippea esse constaret, in fragmentorum collectionem erant recipienda.

Iam de ceteris libris Tullianis pauca habeo quae addam; nullius enim a viris doctis ipse Chrysippus auctor habetur. Ac „de natura deorum“ librum alterum cum ex Posidonio, tum ex libro quodam selectas principum Stoicorum sententias continente conflatum esse, plane mihi persuasit Usener (Epicureorum praef. p. LXVIIIsq.). Quae vero priori „de divinatione“ libro Posidonii insunt, eorum magnam partem iam in Chrysippi libris exstitisse probabile est. Ita enim Posidonius in hac doctrina videtur versatus esse, ut quae a prioribus philosophis, a Chrysippo, a Diogene, ab Antipatro de divinatione cum disputata tum collecta erant, coniuncta proderet magis quam novis placitis augeret. Inde magnus Posidoniani operis librorum numerus explicatur, inde quae § 6 ex praefatione sine dubio Posidonii sumpta Tullius narrat, inde frequens antiquiorum apud Ciceronem memoria. Recepi autem in Chrysippeorum numerum locum quendam Origenis (contra Celsum IV p. 569 Delarue) propter similitudinem loci Tulliani I 52, 120; non quo per se consensus ille Chrysippeam originem probaret, sed quod Origenem saepe ad ipsum Chrysippum in Stoicis se adplicuisse sciebam nec non ipsa res, quae ipsam quasi summam doctrinae attingebat, Chrysippo digna videbatur.

De Diogene Laërtio et Ario Didymo.

Inter ceteros fontes, quibus Stoicae doctrinae notitia ad nos venit, Laërtii in Zenonis vita enarratio et Didymi apud Stobaeum eo praecipuum sibi locum vindicant, quod altera totam moralem, altera etiam logicam et physicam philosophiae partem complectuntur, Laërtius etiam frequenti Stoicorum auctorum librorumque memoria insignis est. Cum vero ad generalem Stoicorum doctrinam cognoscendam ambo utilissimi sint, ad quosnam auctores singula placita redeant, difficillimum est diiudicatu in Didymo, qui perpaucis pro amplitudine operis locis auctorum nomina addidit, neque multo facilius in Diogene, quamvis scateat nominum copia. Iam cum nostrum sit extricare, quatenam ex tanta placitorum multitudine ad Chrysippum probabiliter referantur, quaerendum est de utriusque fontis cum universa indole ac natura, tum tempore et origine. Atque utrumque simul in iudicium vocari ipsa res postulat, cum tanta sit et generis et singularum rerum similitudo. Neque a ceterorum, qui hisce de rebus sententias tulerunt, virorum doctorum opinionibus exordium capere libet; statim ipsam rem aggrediamur. Diogenes igitur absoluta § 38 Zenonis discipulorum enumeratione ad placitorum enarrationem pergit non ipsius Zenonis, sed ut ipse dicit *κοινῇ πάντων τῶν Στωϊκῶν*. Iam cum in fine primi capituli ad ceteros praeter Zenonem Stoicos transitum fac-

turus his verbis utatur: *ἂ δέ τινες ἐξ αὐτῶν διηνέχθησαν, ἔστι τάδε*, ea placita videtur tractare voluisse, quae omnium Stoicorum essent communia. Praemittitur autem §§ 39—41 med. de partium philosophiae numero et ordine disputatio, qua discrepantiae quoque singulorum auctorum diligenter notantur. Sed offendit verborum: *Ὁ δὲ Κλεάνθης — ὡς Ζήνων ὁ Ταρσεύς* locus, quae tam perverse collocata sunt, ut illud *τοῦ λόγου* vix possit intellegi. Refertur videlicet ad prima totius disputationis verba: *τριμερῇ φασιν εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον*. Apparet igitur haec duo enuntiata post § 39 inserenda fuisse. Quae vero causa fuerit ordinis turbati, nondum tempus est quaerendi. Praeterea mirum est, eos qui permixtae particularum traditioni patrocinati erant, primos memorari, deinde per ἄλλοι δὲ eos qui certum quendam ordinem commendaverant, iis opponi. Neque enim credibile est, exstitisse philosophos, qui ita omnia permiscerent, ut nullum partium ordinem servarent. Sed eo sensu permixtio illa videtur accipienda esse, quo Chrysippus *ἐν τῷ περὶ λόγου χρήσεως* dixit: *οὐ καθ' ἅπαξ ἀφεκτέον ἐστὶ τῶν ἄλλων τῷ τὴν λογικὴν ἀναλαμβάνοντι πρώτῃν, ἀλλὰ κακείνων μεταληπτέον κατὰ τὸ διδόμενον*, idemque Zeno Tarsensis, Chrysippi discipulus, voluit cum philosophiae ipsius, non *τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου* tres illas partes esse autumaret. Sed etiamsi fuerunt, qui nullo ordine uterentur, ii post ceteros erant commemorandi.

Sequitur § 41 med.—48 breviscula de logica parte expositio, in partitione et gravissimarum notionum definitione subsistens. Plura deinde a media § 46 de dialectica virtute eiusque speciebus deque utilitate artis dialecticae disputantur. His absolutis sequuntur notissima illa de Diocle Magnete, quibus generali capitum expositioni specialem de logica tractatum se addere eumque ex Dioclis *ἐπιδρομῇ τῶν φιλοσόφων* se exscribere ipse Laërtius testatur. Quae igitur e Diocle exscripta esse ipsius Laërtii testimonio constat, nunc missa faciamus, hoc unum videamus, quem ad finem Dioclis verba pertineant. Neque difficile est intellectu § 82 extr. verbis *ἐν Πύδῳ* Dioclea finiri, quae vero § 83 continentur, non iam Dioclis esse, sed eiusdem fontis, unde capita logica antea Laërtius excerpserat. Nam verba: *ἵνα μάλιστα κρατύνωσι διαλεκτικὸν μόνον εἶναι τὸν σοφόν* etc. proxime accedunt ad illam de dialectica virtute et utilitate artis dialecticae disputationem, cui capitum auctor tantum momenti tribuit, ut solam fere pluribus adumbraret, quaque ad ceterarum partium enarrationem transitum sibi videtur paravisse. Itaque § 83 Laërtium omisso Diocle ad priorem fontem redire iudico.

Quod explicari non potest, nisi eam quoque, quae § 84 orditur

moralium enarrationem ex eodem fonte haustam statuerimus. Ita, ni fallor, explicatur, cur Laërtius Dioclem arcessiverit. Nam fons ille, quem primum ad manus sumpserat, de logicis tam exilia praebebat, partitione loci et utilitatis praeconio contentus, ut ampliora Diogeni circumspicienda essent. Itemque explicatur, quod distinctio illa τῶν κεφαλαίων et τῶν κατὰ μέρος ad logicam solam pertinet. Nam in fine partis moralis dicit: ταῦτα δὲ ὡς ἐν κεφαλαίοις ἡμῖν διαλελέχθω καὶ στοιχειωδῶς, similia exstant in physicorum calce. In moralibus igitur et physicis tantus erat capitum et numerus et ambitus a priore fonte suppeditorum, ut speciali tractatione Diogenes suo iure supersederet. Illius igitur fontis auctorem ad moralia maxime et physica Stoicorum placita animum advertisse suspicor, ex logicis prooemii loco perpauca praemisisse, quibus gravitatem utilitatemque disciplinae summis laudibus efferret, de singulis vero ad alios auctores lectorem relegaret. Hoc quoque meae coniecturae favet, quod in logicorum capitibus, in moralibus, in physicis subdivisiones locorum toti enarrationi praemittuntur, alia est Dioclis ratio, qui partitiones ipsi enarrationi insertas suo quamque loco deinceps profert.

Iam de morali et physica parte quaeremus, quae ad rem nobis propositam gravissimae sunt. Ac primum quidem ea observabimus, quae utriusque partis communia sunt, postea in singulos locos inquiremus.

Haec igitur totius enarrationis est conformatio, ut ordine nec nullo nec optimo, perspicuo si ad totum spectes, in singulis saepe turbato, Stoicorum placita enumerentur magis quam continuo sententiarum conexu enarrentur. Argumenta opinionum tum breviter adumbrantur, tum pluribus exponuntur, tum omnino nulla adduntur. Idem de auctorum laudationibus dicendum est, quae pro scriptoris, ut videtur, arbitrio nunc larga manu effunduntur, nunc per complures paginas omnino desiderantur. Quod vero maxime animadvertendum est, raro pro operis ambitu ad singulorum scriptorum placita descendit eorumque discrepantias notat, ne tum quidem cum singulos laudat, sed semper fere universae scholae doctrinam se adumbrare simulat. Atque ad universos Stoicos totam enarrationem spectare eo vel maxime probatur, quod multifariam occurrunt accusativi cum infinitivo, ad quos „οἱ Στωϊκοὶ φασί“ unde pendeant supplendum sit, quamvis in praecedentibus enuntiatis haec verba non inveniantur vel etiam de singulis quibusdam Stoicis sermo fuerit. Ut igitur in pauca rem conferam offendit mira quaedam scriptoris ratio, universae scholae et singulorum placita confundendi atque permiscendi. Atque paene ridiculi sunt tales loci, quales haud ita pauci occurrunt, ubi intra unam eandemque periodum

partim de schola, partim de singulis philosophis edocemur. Exemplum affero unum pro multis: § 111 *δοκεῖ δὲ αὐτοῖς τὰ πάθη κρίσεις εἶναι, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ παθῶν· ἦτε γὰρ φιλαργυρία* etc. Neque enim spero fore qui *καθά φησι* illud vertat „secundum praecepta.“ Si igitur (quo uno hic sensu „καθά“ illud accipi potest) vertimus „ut dicit Chrysippus,“ ridicula plane evadit sententia, scil. Chrysippum Stoicis illam de affectibus doctrinam tribuisse, cum ipsum huic sententiae patrociniatum esse dicendum fuerit. Quod si semel vel iterum haec loquendi forma occurreret, scriptoris quisquis ille fuit negligentia facile excusaretur; cum vero per totam et moralem et physicam partem regnet, non casu, sed certa causa factum videtur, ut a probo et simplici orationis genere scriptor aberraret. Hoc igitur — ut finem statim commonstrem, quo disputatio mea tendit — inde factum esse suspicor, quod ex duobus fontibus quam nos legimus enarrationem auctor consarcinaverit, altero communia universorum Stoicorum placita nullis vel paucis additis nominibus enumerante, altero singulorum philosophorum opiniones ex ipsorum libris diligenter expendente. Hinc illud quoque explicatur, quod antea dixeram, non nullas enarrationis partes auctorum nominibus plane carere, quae videlicet propter scholasticam exilitatem non poterant ex ipsis philosophorum libris illustrari. Sed iusto celerius ad finem properavimus, non quo argumenta adhuc prolata satis esse iudicemus ad persuadendum, sed quo facilius quae addituri sumus ponderentur a legentibus. Ordiamur iam a physica parte §§ 132—160 quaeque scriptorum laudationes occurrunt perlustremus, ut quam accuratissime perspiciatur, quae sit illarum auctoritas atque cum ceteris, quae a Laërtio traduntur, necessitudo. Fit igitur exordium a partitione loci nullo scriptoris nomine munita. Ad ea vero quae § 134 de principiis docentur addita est quinque diversorum librorum laudatio, verbis: *τίθησι δὲ τὸ δόγμα τοῦτο* etc. Quae laudatio cum ab ipso placito separata exstet, potest qua nos volumus ratione postea addita esse, sed in neutram partem hic quidem locus iudicium flectit. Addo similia: § 136 extr. *λέγει δὲ περὶ αὐτῶν* etc. § 140 extr. *φησὶ δὲ περὶ τοῦ κενοῦ* etc. § 142 *περὶ δὴ οὖν τῆς γενέσεως καὶ τῆς φθορᾶς τοῦ κόσμου φησὶ* etc. Possim eodem referre § 143 verba: *ὅτι τε εἰς ἐστὶ Ζήνων* etc., cum ipsum illud de unitate mundi placitum iam § 140 in. prolatum sit: *ἓνα τὸν κόσμον εἶναι* etc. Sed in ordinem redeamus. § 135 in. haec verba inveniuntur: *σῶμα δ' ἐστὶ, φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ φυσικῇ, τὸ τριχῇ διαστατόν, εἰς μῆκος, εἰς πλάτος, εἰς βάθος.* Iam vehementer erraret, qui hanc corporis definitionem ab Apollodoro vel primo vel solo adhibitam esse putaret; immo omnino Stoi-

corum videtur communis fuisse, cum et apud Aëtium occurrat (I 16, 1 ubi lemma excidit) et apud Didymum (fr. 19 Diels) et apud Philonem (de mundi opificio p. 58. Müller). Quin etiam ad Peripateticos transmigravit (Didymi fr. 5 Diels). Non igitur nisi casu fieri potuit, ut ad unum Apollodorum praeter ceteros graviore auctores relegamur. Atque frequentes sunt huius generis loci, quibus qui nominantur placitorum neque soli sunt neque potissimi auctores. Quales etiam § 138 exstant mundi definitiones, laudato uno Posidonio ἐν τῇ μετεωρολογικῇ στοιχειώσει, cum ad verbum conspirent Chrysippi definitiones a Didymo servatae (fr. 31 Diels). Atque hoc quidem loco cum definitiones ad Posidonium relatae verbis „ἢ ὥς φησι Ποσειδώνιος“ alii definitioni adnectantur, si ceteris fontibus destituti essemus, Posidonii eas proprias fuisse profecto arbitraremur. Non multum proficimus verbis § 135, ubi ad definitionem superficiei (τῆς ἐπιφανείας) additur: ταύτην δὲ ὁ Ποσειδώνιος ἐν τρίτῳ περὶ μετεώρων καὶ κατ' ἐπίνοιαν καὶ καθ' ὑπόστασιν ἀπολείπει, quamquam mirum est hanc propriam Posidonii atque a communi Stoicorum opinione discrepantem sententiam referri (cum praesertim merae definitiones et antecedant et sequantur) non referri generalem i. e. Chrysippeam doctrinam. Quod facile explicari potest, si Posidonii locum ex alio fonte insertum esse putamus.

Tandem ad locum pervenio maxime memorabilem quemque praeter ceteros meae sententiae favere arbitror § 138 extr. et 139. Docetur mundum providentia et ratione gubernari (καθὰ φησι Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ προνοίας καὶ Ποσειδώνιος ἐν τρισκαιδεκάτῳ περὶ θεῶν — et — possumus addere — omnes omnium Stoicorum libri) quod quomodo fiat accuratius exponitur. Comparatio igitur Stoicorum more instituitur inter mundum et hominem, qui quasi parvus mundus est. In homine enim anima per totum corpus viget, ita tamen ut ad diversas corporis partes diverso et integritatis et intentionis gradu pertineat: δι' ὧν μὲν γὰρ ὥς ἕξις κεχώρηκεν, ὥς διὰ τῶν ὀστέων καὶ τῶν νεύρων· δι' ὧν δὲ ὥς νοῦς, ὥς διὰ τοῦ ἡγεμονικοῦ. Intercidit igitur sive Laërtii sive librariorum culpa medius ille intentionis gradus, quem naturam nominabant et ipsum quoque in quibusdam humani corporis partibus, ut in crinibus et unguibus, inesse Stoici putabant. Iam eosdem gradus in deo quoque esse totum mundum permeante scriptor ostendere instituit. Incipit igitur, inverso priore ordine, a principali quae dicitur parte: οὕτω δὲ καὶ τὸν ὅλον κόσμον, ζῶον ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικόν, ἔχειν ἡγεμονικόν μὲν τὸν αἰθέρα † ὁ(ν) καὶ πρῶτον θεὸν λέγουσιν, (τὸν αὐτὸν δὲ) αἰσθητικῶς ὥσπερ κεχωρημέναι διὰ τῶν ἐν ἀέρι καὶ διὰ τῶν ζώων ἀπάντων καὶ (φυσικῶς διὰ τῶν)

φυσῶν· διὰ δὲ τῆς γῆς αὐτῆς καθ' ἑξίν. Cf. Vol. II n. 634. Addidi uncis inclusa quae explendae sententiae causa necessaria duxi. Sed haec nihil fere ad rem. Non solum addidi quaedam, sed etiam omisi, quo loco crucis signum adpinxi. Omisi amplum laudationum acervum, qui ubi in libris editionibusque legitur planum et simplicem sententiae decursum miro modo perturbat. Quod cum ex iis qui diligenter Laërtium legerint, neminem fugisse putem, pluribus probare supersedeo. Non tam certum habeo, de explicanda re idem sensisse omnes, quod ipse sentio. Ipsam videlicet compilatoris manum deprehendisse mihi videor; qui cum laudationes scriptorum margini adscriptas scribae tradidisset, ille alieno loco eas inseruit, unde accidit ut pro ὃν καὶ πρῶτον θεὸν λέγουσιν, quod ad ipsum aethera primitus referebatur, ὃ illud in textum reciperetur, quod nunc ad τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος referri videtur. Atqui apparet non potuisse Stoicorum universorum (λέγουσι) de primo deo opinionem cum singulari illa Chrysippi locutione (τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος) copulari, sed cum iis fuisse coniungendam, quae de universis Stoicis antea relata erant. Neque ad sequentem infinitivum κεχωρηκέναι subiectum esse potest τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος, cum in sola principali parte mundi, ubi nulli crassiori materiae permixtus exstat, pura sit aetheris substantia. Ergo non purissima aetheris pars, sed ipse aether omnia permanat. — Hic igitur locus luculentissime probat, quam non arta necessitudo inter ipsam placitorum enarrationem atque scriptorum librorumque laudationes intercedat neque fieri potuisse, quod nonnullos viros doctos opinari video, ut tale compendium ex ipsis philosophorum libris consarcinaretur. Atque nostro iure quod in hoc loco manifestum est, ad totam Laërtianae enarrationis originem referemus.

Iam huic loco addam alium § 156, 157 cui ipsi quoque multum tribuo:

§ 156 Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς τὴν μὲν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικόν, ὃδ' ὦ βαδίζον εἰς γένεσιν, ὅπερ ἐστὶ πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεγροειδές· τὴν δὲ ψυχὴν (φύσιν) αἰσθητικὴν. ταύτην δὲ εἶναι τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα· διὸ καὶ σῶμα εἶναι καὶ μετὰ θάνατον ἐπιμένειν· φθαρετὴν δὲ εἶναι· τὴν δὲ τῶν ὄλων ἄφθαρτον, ἧς μέρη εἶναι τὰς ἐν τοῖς ζώοις.

§ 157 Ζήνων δὲ ὁ Κιτιεὺς καὶ Ἀντίπατρος ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ Ποσειδώνιος πνεῦμα ἐνθερμον εἶναι τὴν ψυχὴν· τούτῳ γὰρ ἡμᾶς εἶναι ἐμπνόους καὶ ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι. Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως, Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνων.

Iuxta posui, quae apud Laërtium deinceps posita sunt, quo faci-

lius intellegatur, quae ratio inter haec duo enarrationis capita intercedat. Quae enim in sinistra parte paginae collocavi, generalem Stoicorum doctrinam ita ut nihil desideretur, absolvunt, quae in dextra parte, non solum discrepantias singulorum a generali doctrina continent, sed etiam eadem placita, quae illic sectae tribuuntur, ad singulos auctores revocant. Nam *πνεῦμα πυροειδές* plane idem est quod *πνεῦμα ἐνθεονον*, quia ignis artificiosus a calore non differt. Quodsi ex ipsis auctorum, qui nominatim afferuntur, libris compendium excerptum esset, primum quidem de substantia animae et generalis doctrina et singulorum opiniones adumbrarentur, deinde de immortalitate eodem ordine ageretur.

Iam vero ceteras quoque physicae partis laudationes singillatim pertractare non necessarium duco, cum ea quae adhuc protulimus satis superque rem illustrent.

Neque mirum est alios exstare locos, ubi melius placita cum laudationibus in unum coaluerunt. Mirum potius esset, si multis locis compilatoris manus tam manifesto deprehenderetur.

Sed quaerendum est diligentius de duorum illorum fontium natura. Atque nomina quidem auctorum librorumque ab eo, qui haec tam sinistre consarcinavit, non ex ipsa philosophorum lectione petita esse iudico, sed ex collectione eclogarum, quales tunc temporis permultae fuerunt. Eclogas philosophorum dogmaticorum ab Academicis in scholae disputationibus adhibitae esse et a Tullio in lib. II de nat. deor. in usum vocatas probabile reddidit Useneri disputatio Epicureorum praef. p. LXVII, similes ab ipsis Stoicis esse adhibitae persuasum habeo. Nam eorum quoque usui provideri oportebat, qui cum mediam inter vulgi incitiam et doctorum diligentiam viam sequerentur neque compendiorum exilitate contenti essent neque tot voluminum lectioni vacarent. Eiusmodi igitur hominibus apta erat Didymi epitome, quam ex Eusebii praep. evang. lib. XV cognitam habemus cuiusque quamvis exilia frustula ad nos pervenerint, tota ratio etiam hodie agnoscitur. Patet enim Didymum et universam sectae doctrinam et singulos auctores spectasse, cum in unoquoque placito a generali doctrina profectus, quam ipsam quoque nonnunquam gravissimorum auctorum verbis propriis illustrabat, inde ad propria cuiusque philosophi placita et discrepantias descenderet, quae tum referendo tum excerptendo adumbrabat. Itaque hic quoque eclogarum libro videtur usus esse. Neque repugnabo si quis Arium utpote philosophum ipsis veterum auctorum libris aliquatenus imbutum fuisse putaverit. Certissimum vero duco eclogas, quales in epitoma sua tradidit, iam ante eius aetatem exstitisse; quod non tam certis vestigiis quam tota Posidonianae

aetatis indole probatur. Notum est, ex fragmentis Posidonii multa spectare ad superiorum temporum Stoicos, ad Zenonem, Chrysippum, Aristonem, Antipatrum; atque videtur plerumque Posidonius in libris suis a diiudicandis priorum philosophorum litibus exordium cepisse, quippe qui non tam nova placita inveniendō, quam pristina prudenter deligendo atque nova ratione in unum coniungendo laudem mereret. Eclecticis ille fuit non solum in alienis, sed etiam in Stoicis. Hanc igitur aetatem, quae quasi summam e superiorum saeculorum cogitationibus efficere sibi videbatur, apprime decet doxographica diligentia. Itaque quod de Academia contendit Usener, scil. non potuisse scholam sententiarum apparatu carere e dogmaticorum libris selectarum, hoc ad ipsam Stoam transferre non dubito. Non poterat profecto Posidonius cum discipulis eclectice philosophari, nisi manibus tenebant gravissimas gravissimorum Stoicorum sententias, ex ipsorum libris congestas. Atque auctorum nomina quae in Didymi excerptis et in Laërtianis apparent, hanc ipsam aetatem quasi commonstrant. Nam quamquam Antipater Tyrius nominatur, Posidonio ille quidem aliquanto minor natu, frequentissimum tamen per totam Laërtii enarrationem Posidonii nomen eminet, ut facile intellegatur, Chrysippum et Posidonium auctori summos fuisse Stoicorum. Indices igitur talium eclogarum exili compendio Laërtius vel auctor eius inseruit, interdum argumenta quoque sententiarum et discrepantias philosophorum ex eodem libro enotavit.

Adhuc physicae tantum parti operam dedimus, iam ceterae quoque partes sunt examinandae. Itaque paucis moneo, quas de § 39—41 supra movimus dubitationes, eadem coniectura posse solvi, qua in physicis usi sumus. Nam perversa eorum, quae de Cleanthe et Zenone Tarsensi narrantur, collocatio vix alia ratione poterit explicari, quam diversorum excerptorum coniunctione. Quod vero ad logica Dioclea attinet, facile intellegitur, eas quae in hac parte occurrunt scriptorum laudationes bene se habere et vacare iis offensionibus, quas in physica parte deteximus, praeter eas quae § 54 proferuntur de norma iudicii auctorum dissensiones. Hoc uno enim loco ridiculum illud *φασὶ — καθά φησι* invenitur. Puto igitur verba inde a *καθά φησι* usque ad *τῶν καθόλου* pro scholio Laërtii esse habenda in Dioclis contextum inculcato. Nam per totum Dioclis tractatum constanter pro illo *καθὰ* legimus *ὡς*. Neque ullo loco praeter hunc apud Dioclem Boëthi dissensiones notantur, quarum in physica parte frequens memoria est. Accedit quod verba, quibus altera Chrysippi formula inducitur, *διαφερόμενος πρὸς αὐτόν*, eorum similia sunt, quae § 138 exstant: *ὁ μέντοι Χρύσιππος διαφορώτερον πάλιν* etc. et verba quibus Boëthi

singulare de norma iudicii placitum sententiae communi adnectitur: ὁ μὲν γὰρ Βόηθος eandem compilatoris manum produnt, quae § 149 scripsit: ὁ μὲν γὰρ Παναίτιος etc. Hunc autem in forma locutionis consensum eo graviolem esse arbitror, quo longius in ceteris Dioclis ratio a morali et physica parte distat.¹⁾ Quae cum exemplum praebeat probae et sanae scriptorum laudandorum consuetudinis, eo magis perspicua fit ceterarum partium in hac quidem re pravitas.

Iam ad partem moralem pergamus, cui ultimus disputationis locus ea de causa reservandus erat, quod propter artam necessitudinem, quae huic parti cum epitoma Didymi intercedit, hanc una cum illa tractari oportebat. Primum igitur quaeramus, num illa, quam in ceteris observavimus, auctores appellandi ratio ad hanc quoque partem pertineat. Neque multos locos tractare oportebit, si quidem suppetunt, quae omni dubitatione exempta sint. Inquiramus igitur in § 102, cuius initio enumerantur bona, mala, indifferentia. Indifferentium porro duo genera distinguuntur. Ab altera parte stant ζωή, ὑγίεια, ἡδονή, κάλλος etc. ab altera θάνατος, νόσος, πόνος, αἰσχος. Huic enumerationi statim auctores adnectuntur (καθὰ φησιν Ἐκάτων ἐν ἐβδόμῳ περὶ τέλους καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἡθικῇ καὶ Χρύσιππος), deinde sequuntur haec verba: μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα ἀγαθὰ, ἀλλ' ἀδιάφορα κατ' εἶδος προηγμένα et duo huius placiti argumenta. Duae in hisce res animadvertendae sunt, altera quod verba: μὴ γὰρ εἶναι etc. nec non duae illae, quae subsequuntur, argumentationes cum mentione scriptorum ita cohaerent, ut ex eodem utique fonte derivanda sint; altera quod verba μὴ γὰρ εἶναι etc. praecedenti enumerationi non bene adnectuntur, utpote quae ad vitam, voluptatem, pulchritudinem etc. referenda sint, non ad mortem, dolorem, infirmitatem, quae res extremo loco enumeratae erant. Quod cum per se compilatoris negligentiam satis videatur comprobare, accedunt alia, quibus suspicio nostra magis etiam confirmetur. Nam quae hic de rebus productis vel praepositis disputantur, ordinem sententiarum perturbant, cum § 105 demum quid sit προηγμένον quid ἀποπροηγμένον definiatur. Neque id leve ducendum est, quod quae extrema § 103 nunc legitur iuvandi nocendique finitio, ubi legitur quo referatur non habet. Cum vero indifferentia hoc modo scriptor finiverit: οὐδέτερα δὲ ὅσα μήτε ὠφελει μήτε βλάπτει, ad primam illam indifferentium enumerationem iuvandi nocendique finitiones primitus pertinuisse patet, unde efficitur, inde a καθὰ φησιν Ἐκάτων usque ad αἰσχρὸν εἶναι ἀγαθόν omnia ex altero

1) Praeterea § 55 post verba καὶ σῶμα δ' ἐστὶν ἡ φωνή malim abesse quod additur κατὰ τοὺς Στωικούς, quia sequitur: ὧς φησιν Ἀρχέδημος — καὶ Διογένης καὶ Ἀντίπατρος καὶ Χρύσιππος.

fonte illata esse, quo Laërtius compendii exilitatem amplificare studebat. — Alterum addo locum, ubi laudationum copia aptum sententiarum progressum turbavit § 89sq. Agitur de virtute, cuius § 89 med. hic finis proditur: *διάθεσις ὁμολογουμένη*. Definitioni statim adduntur gravissima de virtute placita scil. propter se ipsam esse expetendam beatamque vitam secum afferre. Sequitur causa, cur non omnes homines ad virtutem perveniant. Dein ad definiendam virtutis notionem scriptor relabitur: *ἀρετὴ δέ τοι ἡ μὲν τις κοινῶς παντὶ τελείωσις (ἡ δέ τις ἀνθρώπῳ ἰδίως τοῦ λόγον τελείωσις)*. Nam sic fere lacuna, quae post *τελείωσις* in libris exstat videtur explenda esse. Sed plura etiam exciderunt aut corrupta sunt sequentia verba, cum ne sic quidem oratio bene procedat. Sequitur porro distinctio inter *θεωρηματικὰς* et *ἀθεωρήτους* virtutes quae ex Hecatone (*ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῶν*) pluribus illustratur, dein duo placita: *ὑπαρκτὴν εἶναι τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν* et *διδασκτὴν εἶναι τὴν ἀρετὴν*, dein diversae de numero virtutum opiniones. Hunc igitur sententiarum ordinem ineptum esse per se patet. Nam duo illa de virtute placita (scil. *ὑπαρκτὴν εἶναι* et *διδασκτὴν*) ea quae de numero et speciebus virtutis disputantur interrumpunt. Puto igitur in priore fonte post ea quae de *τελειώσει* dicuntur statim subsecuta esse haec (§ 92 med.): *τῶν δὲ ἀρετῶν τὰς μὲν πρώτας* etc., quae vero interposita sunt ex compluribus alterius fontis pannis consuta esse. — Breviter tantum moneo quae in § 111 ad Chrysippeam de affectibus doctrinam pertinent (*δοκεῖ δὲ αὐτοῖς—καὶ τὰ ἄλλα*) ea de causa pro additamento esse habenda, quod de notione affectus iam in antecedente paragrapho rem absolverat; postquam quattuor affectuum genera enumerata sunt (*τῶν δὲ παθῶν τὰ ἀνωτάτω εἶναι γένη τέτταρα, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν*), eorum statim definitiones sequi oportebat. — Unum etiam locum tractare nobis liceat § 125sq. de mutua virtutum coniunctione. Notissimum igitur Stoicorum placitum *τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν* longiore argumentatione illustratur: mediae vero argumentationi trium nomina auctorum inseruntur. Quae argumentatio cum non summatim, sed explicate a Laërtio prodatur contineatque notiones a communi Stoicorum usu alienas, dubitatio subnascitur, num re vera et Chrysippus et Apollodorus et Hecato hac ipsa conclusione usi sint. Quam opinionem funditus tollere in animo est. Nam Hecatoni quidem tradita conclusionis forma aptissima est, cum a Panaetiana theoreticae et practicae virtutis distinctione proficiscatur, Chrysippo non item. Neque formula illa qua tota disputatio terminatur: *κεφαλαιοῦσθαι ἐκάστην τῶν ἀρετῶν περὶ τι ἴδιον κεφάλαιον* ad Chrysippeam senten-

tiam (ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετὰς) exacta est. Habes igitur exemplum, quanta in talibus apud Laërtium cautio adhibenda sit. Nam ubi ad placitum argumentis illustratum complura auctorum nomina adduntur, non illa argumenta, sed ipsum tantum placitum ad omnes referendum est.

Iam quoniam moralem partem eodem modo quo physicam a Laërtio auctam et amplificatam esse perspeximus, de compendio illo, quem priorem fontem nominavimus, videndum est. Nam cum hoc quasi fundamentum sit totius enarrationis, cardo rei in eo vertitur, ut de natura eius atque origine, quatenus fieri potest, ad liquidum res perducatur. Ex iis enim, quae nullo nomine adscripto apud Laërtium leguntur, quam multa ad Chrysippum referri possint, nobis gravissima est quaestio. Benevolentia igitur fortunae accidit, ut simillimum huius compendium a Stobaeo in eclogis II ep. 7, 5 servaretur; tertii denique eiusdem generis compendii apud Sextum usus apparet.¹⁾ Nam quae Sextus affert ita comparata sunt, ut quamvis summa cum Didymeis Laërtianisque similitudo conspicua sit, tamen neque e Didymo neque e Laërtii fonte a Sexto derivari potuerint. Ea autem, ut accuratius describam, inter haec tria ethicorum compendia ratio intercedit, ut cum mira quadam in rebus ipsis affinitate varietas quaedam in minutiis et maxime in verbis coniuncta sit. Confer igitur, ut exemplis utar, Sextum adv. math. XI 46 de generibus bonorum cum Laërtii § 95 et Stobaei p. 70 l. 8—20 Wachsmuth (Vol. III n. 96. 97. 97a), et Sextum adv. math. XI 59 de indifferentibus cum Laërtii § 104 et Stobaei p. 79 (Vol. III n. 118. 119. 122). Nam totos locos hic exscribere non opus est. Cf. etiam Sextum adv. math. XI 22—27 cum Stobaei p. 69, 17—70, 7 W. et Laërtii § 94 (Vol. III n. 74. 77. 76). — Cum vero accuratius rem examinaveris, patebit tibi non ad totas enarrationes, sed ad priorem tantum utriusque partem hanc similitudinem pertinere i. e. ad Laërtii §§ 85—116 et Stobaei p. 57—93. Nam reliqua eatenus quidem consentiunt, quod utrimque de sapiente et insipiente agitur, interioris vero inter utrumque scriptorem necessitudinis nulla hic sunt vestigia. Quod qua ratione explicandum sit, postea videbimus, nunc ad priorem partem animum advertamus. Atque ordo quidem primo obtutu videtur diversissimus esse. Sed totum discrimen in eo positum est, quod Laërtius a primo appetitu²⁾ et fine bonorum, Didymus a virtutibus initium capit. Si igitur, quae de fine bonorum p. 75—78 Didymus disputat, in primum

1) Atque etiam Cicero in Tusculanarum lib. IV doctrinam affectuum, morborum, aegrotationum e tali compendio sumpsisse videtur.

2) Ut etiam Hierocles in ea quae nuper reperta est ἡθικῇ στοιχειώσει.

locum transposita esse finxeris, ceterae partes plane eodem ordine se excipiunt. Nam Didymi p. 58—65 (de virtutibus) respondent Laërtii §§ 89 med.—93, Didymi p. 68—74 (de bonis) Laërtii §§ 94—101. Iam, omissa quam transpositam finximus de finibus disputatione, ad p. 79—85 Didymi pergimus (de indifferentibus et de aestimatione) quibus respondent Laërtii § 102—107. Porro apud utrumque de officio agitur Did. p. 85—86, Laërt. § 107 extr.—110 in. Sequitur apud Didymum (interpositis p. 86, 87 quae apud Laërtium desunt de appetitu eiusque speciebus) de affectibus doctrina p. 88—93, quae apud Laërtium §§ 110 med.—114 tractatur. Terminantur haec apud utrumque morborum atque infirmitatum animi explicatione. Apparet igitur uno capite excepto, quod a Laërtio melius collocatur, eundem ab utroque ordinem servari. Iam vero, quod ad res et verba attinet, tum hic tum ille plura praebet, quae omnia singillatim pertractare nolo. Ad nos enim ea vel maxime quaestio pertinet, quomodo talis similitudo, qualem modo depinximus, possit explicari. Atque vix alia ratio poterit excogitari, quam ut sumamus, exstitisse aliquando compendium moralis Stoicorum philosophiae, quod cum scholarum usui destinatum esset, iterum iterumque pro aetatis cuiusque usu reformaretur; ea igitur quae communia sunt Didymi et Laërtii (quorum quaedam apud Tullium redeunt in tertio de finibus; cf. inprimis § 53, 55, 56) ad pristinum illum librum pertinere, quae vero discrepant vel in altero tantum fonte inveniuntur, posteriori aetati deberi. Eum autem librum, qui quamvis mutatus totius disciplinae fundamenta per complura saecula praebuit, magna profecto auctoritate floruisse intelligitur. Iam cum Didymi apud Stobaeum in subscriptione totius enarrationis haec verba exstent: *Ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον. Περὶ γὰρ πάντων τῶν παραδόξων δογμάτων ἐν πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις ὁ Χρύσιππος διελέχθη· καὶ γὰρ ἐν τῷ Περὶ δογμάτων καὶ ἐν τῇ Ὑπογραφῇ τοῦ λόγου· Ἐγὼ δ' ὅποσα προϋθέμην* etc. — quamvis haec verba obscuriora videantur neque satis appareat, cur hos Chrysippi libros Didymus nominet, probabile tamen videtur, eum in fonte suo eorum mentionem invenisse. Quodsi titulus ille: *Ὑπογραφὴ τοῦ λόγου* (cf. Laërtii Chrysippeorum librorum indicem Vol. II p. 8, 30, in quo primum locum inter morales libros obtinet) aptissimus est tali libro, qualem Laërtianae et Didymeae enarrationis in parte priore fundamentum fuisse suspicati sumus, proclivis est coniectura: hunc fuisse ipsum Chrysippi librum. Nam de altero libro: *περὶ δογμάτων*, siquid video, non poterit cogitari, cum illud compendium ex partitionibus definitionibusque totum fere constituisse, atque ipsa placita non nisi per hanc formam adumbrasse videatur. Atque mirum profecto

esset, si eiusmodi liber qui a gravissimo scholae auctore profectus, tironibus tamen destinatus erat, a successoribus scholae plane neglectus esset, mirum quoque si ab interpolationibus abstinuissent. Ita factum est ut Diogenis, Antipatri, Panaetii, Hecatonis apud Didymum vestigia agnoscantur, ita porro quod a Schuchhardtio et Kreuttnero demonstratum est, ut in definitionum collectionibus, virtutum maxime et affectuum, quas Didymus prodit, permixti inveniantur diversorum auctorum fetus.

Plane alia est posterioris particulae apud utrumque indoles. Nam Didymi alteram partem ex pluribus libris excerptam esse cum eo probatur quod eadem res compluribus locis repetuntur, tum eo quod nullo fere ordine neque continuo sententiarum filo singula placita deinceps collocantur. Ad ipsos vero philosophorum libros compilatorem accessisse duo sunt quae fidem faciant. Ac primum quidem nullus apparet rerum e gravitate delectus, sed omissis saepe gravioribus placitis leviora multis verbis illustrantur. Accedit quod nonnulla capita sermone utuntur a compendii exilitate longe remoto, ut scriptorem magis quam magistrum audire tibi videaris. Neque exempla proferre opus est rei per se cuius attente legenti manifestae. Iam cum ad ipsos libros philosophorum compilatorem accessisse contendo, non id dico ipsa ubique philosophorum verba integra nobis servata esse, sed mediam quandam teneri viam, ut, omissis multis vel brevioribus nec non ex recta orationis forma in obliquam translatis, multa tamen ut in ipsis libris scripta erant reddantur. Quali etiam physica Didymi excerpta ratione utuntur. Hanc occasionem nactus dubitationem profligabo quae diu et me et alios ni fallor vexavit. Nam moralia Stoicorum quae e Didymo servavit Stobaeus, ab eiusdem auctoris physicis excerptis mirum quantum discrepant, siquidem in physicis doctissimam deprendimus singulorum auctorum librorumque memoriam, in moralibus nullam fere librorum, scriptorum perraram. Itaque eiusdem libri particulas tam diversa ratione compositas fuisse credibile non est. Coniectura autem, qua ad Didymum haec quoque referuntur, videtur certissima esse. Puto igitur Stobaeum non totam et integram Didymi enarrationem descripsisse. Neque enim facile adducor, ut Didymum, quem ex eclogis physicis probum et doctum scriptorem cognitum habeo, credam in morali parte tam neglegenter versatum esse, ut gravissima quaeque huius loci placita vel omnino omitteret vel in transcurso breviter perstringeret, cum alia quae multo minoris momenti essent infinita fere verborum copia illustraret. Quodsi non plenum et illibatum Didymi opus tenemus, probabile est etiam auctorum nomina a Stobaeo demum omissa esse, quae in

priore parte pauca, in posteriore plurima fuisse arbitror. Nam illud compendium sua propria indole ac natura a scriptorum laudationibus alienum est, altera vero pars adeo non probo et simplici sententiarum ordine decurrit, ut haec perturbatio vix possit excusari, nisi ipsam eclogarum formam a scriptore servatam esse sumpseris.

Iam inter libros a Didymo excerptos etiam Chrysippeos quosdam fuisse, cum per se probabile est, tum eo etiam probabilius redditur, quod saepius ad Chrysippi fragmenta quae adscripto nomine leguntur, Wachsmuthii adnotatio nos relegat. Schuchhardtium quoque in hac quidem re mecum consentire video. Complures enim paginas ad Chrysippum auctorem revocat. Atque ille quidem locus, quo uno in altera parte Chrysippus nominatur, nihil probat, cum eodem modo quo ple-raeque apud Laërtium laudationes haec quoque postea inserta esse videatur: Cf. p. 98, 19: καὶ <ἐκείνων> τὴν εὐδαιμονίαν μὴ διαφέρειν τῆς θείας εὐδαιμονίας [μηδὲ τὴν ἀμετρίαν ὁ Χρύσιππος φησὶ δια-φέρειν τῆς τοῦ Διὸς εὐδαιμονίας] <καὶ> κατὰ μηδὲν ἀλγετωτέραν εἶναι μῆτε καλλίω μῆτε σεμνοτέραν τὴν τοῦ Διὸς εὐδαιμονίαν τῆς τῶν σοφῶν ἀνδρῶν. Sed Chrysippi libros adhibitos esse subscriptio demonstrat, ubi praeter Ὑπογραφὴν supra tractatam liber περὶ δογμα-τῶν aliaque κατὰ μέρος συγγράμματα memorantur, sive Didymi verba quibus fontes suos significaverat a Stobaeo obscurata sunt, sive Sto-baeus, quae in singulis capitibus lemmata omiserat, hac ratione quasi complexus est. Neque tamen fieri potest, ut paragraphi e Chrysippo ex-cerptae certa ratione a ceteris secernantur. Possunt etiam Diogenis vel Antipatri capita in hac parte inesse. Nos quae in hac parte leguntur, inter incerta Chrysippi testimonia rettulimus, quae typis minoribus distinguuntur. Addenda sunt pauca de compendio Laërtiano, a quo ad Stobaeum similitudine rei perducti discesseramus. Puto igitur eo potissimum Laërtiana a Didymeis differre, quod apud Didymum praeter Chrysippum Diogenes Antipater Hecato ita adhibiti sunt, ut in uni-versum Chrysippi doctrina servetur, amplificata magis et sensim de-flexa quam in ipsis capitibus mutata, in Laërtianis autem (scil. in posteriore moralium et in physica parte) multa insunt Posidoniana, quae ad Chrysippum non referenda sint. Documento est frequentissima Posidonii mentio, quae in quibusdam capitibus sola fere regnat, ma-ximeque in iis quae de sideribus et de sublimibus docentur. In hoc enim physicorum loco Posidonius multa novasse videtur. Maiore igitur hic cautione opus est quam in Didymo.

Haec erant quae de Laërtio et de Didymi moralibus Stoicorum praefanda erant. Neque de physicis Didymi excerptis habeo quae ad-dam eis quae supra occasione data disserui.

De Aëtio.

Sponte hinc ad Aëtii vicinam operam oratio nostra vagatur. Atque Stoica quae insunt iam ex Vetustis quae vocant Placitis ab Aëtio translata esse, Dielsius probavit, neque video quid contra dici possit. Idem a Posidoniana schola Theophrasteam placitorum congeriem cum reformatam tum noviciorum philosophorum memoria amplificatam esse probabile reddidit. Iam cum eclogarum quoque collectiones ad eandem aetatem atque scholam redire veri simile sit, utpote quae usque ad Posidonium et paullo infra descendere soleant (quod et Didymi epitomae physicae fragmenta et Laërtii laudationes arguunt) alterum genus ex altero pendere suspicamur. Neque enim Placitorum conditorem tot librorum lectioni ipsum vacasse sed prompto magis et comodo selectorum capitum thesauro usum esse credibile est. Atque valde huic nostrae suspicioni suffragatur, quod obscuriorum quoque Stoicorum velut Sphaeri aliquoties in Placitis sententiae referuntur. Quis enim Sphaerum ab ipso Placitorum conditore lectum esse sibi persuadebit? Ac quamquam in ea Placitorum forma quam nos legimus, vetusta multo exiliorem, longe plurimi loci ad generalem Stoicorum doctrinam spectant, tamen quae interdum notantur singulorum dissensiones fidem faciunt in Vetustis Placitis frequentiore fuisse singulorum memoriam. Eclogis igitur primum Placitorum conditorem usum esse suspicor.

Iam quaerendum est, unde vel maxime opera nostra in Chrysippo posita pendet, qua ratione in generali Stoicorum doctrina referenda ille usus sit. Nam cum omnia quae ad universos Stoicos ab Aëtio referuntur, non credibile sit omnium communia fuisse, ambigimus quid de hac generali doctrina iudicandum sit. Cum vero plerosque et gravissimos scriptorem intellexisse consentaneum sit, quos potissimum gravissimos iudicaverit, dubitari potest. Hoc tamen constat tres tantum Stoicos exstitisse, qui tanta auctoritate florerent, ut quae ipsi docuissent ad Stoicos simpliciter referri possent, Zenonem, Chrysippum, Posidonium. Itaque iterum Posidonius existit Chrysippi nostri aemulus et haec quaestio evadit, ex Chrysippone magis an ex Posidonio generalis Stoicorum doctrina in Placitis expressa sit. Atque si is fuisset Placitorum conditor qui in compendii alicuius usu subsisteret, ad limpidiore fontes non accederet, credi posset, ad Posidonii exemplar generalem doctrinam conformatam esse. Ea enim aetate fuit, qua Posidonius maxima auctoritate floreret. Cum vero, ut modo ostendimus, penitiore doctrina imbutus fuerit (eclogarum enim thesauro usus est) non possum mihi persuadere ut generalem doctrinam

ex uno auctore, sive Zenone sive Chrysippo sive Posidonio, ceteris omnibus dissentientibus, expressam esse credam, sed ut generalis doctrina statueretur consensum puto desideratum esse saltem duorum ex tribus illis Stoeae principibus. Hinc efficitur posse quidem in hac generali doctrina latere quae Chrysippi non sint, sed Zenonis placita a Posidonio redintegrata (saepe enim, ut aliunde constat, sectae auctori contra Chrysippum Posidonius auxilium tulit), plerumque tamen Chrysippea quoque esse quae Stoicis simpliciter tribuantur. Confer igitur quae apud Laërtium de sideribus Posidoniana referuntur: nusquam fere cum Aëtio accurate congruere reperiēs. Itaque in collectione hanc mihi legem imposui, ut Aëtiana omnia reciperem, ita tamen ut in incertorum numero collocarem, nisi alia testimonia suppetebant, quae Chrysippeam originem vindicarent.

Iam ad ea tempora eosque auctores accedamus qui non iam ipsi Stoeae, vivae etiam et vigenti, aequales fuerunt, sed abolitae vel semimortuae aliquam memoriam propagaverunt, dum placita eius vel ex vetustioribus fontibus cognita referunt vel in suum usum convertunt. Quorum duo sunt genera, alterum scriptorum Christianorum tertii maxime et quarti saeculi, alterum Neoplatonicorum, a quibus Aristotelici quoque serioris aetatis toti pendent. Atque eos quidem auctores quos abundare Stoicorum placitorum memoria cognitum habebam, accurate tractavi, in aliis quae indices editionum suppeditabant, congerere satis habui.

Ex Aristotelicis serioris aetatis constat longe utilissimum esse Simplicium, cuius in Categorias Aristotelis commentarius diligenter a me excussus largam Chrysippo nostro attulit fragmentorum messem. Quae Simplicius ex prioribus Categoriarum commentatoribus pleraque descripsisse videtur. Illa enim, qua ipse fuit aetate, nullos fere Stoicorum libros reliquos fuisse ipse Simplicius testatur.

Proclus quoque et Syrianus et Olympiodorus Neoplatonici quae produnt, ad paucos fere moralis doctrinae locos spectant (*ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, ὅτι αἱ ἀρεταὶ ἀντακολουθοῦσιν ἀλλήλαις* etc.), qui tam saepe ab his auctoribus tractantur, ut specimina proferre satis fuerit. Quod vero ad Christianos attinet scriptores, qui altero p. Chr. saeculo fuerunt fidei defensores in vulgaribus omnes fere subsistunt, nisi quod Tertullianus in uno „de anima“ libro doctiora quaedam per Soranum accepta tradit, ex ipso, ni fallor, Chrysippo derivata. Ex tertii vero saeculi latinis ecclesiae scriptoribus Lactantius frequenti Stoicorum memoria insignis est, ex Varronis nimirum et

Ciceronis scriptis philosophicis agros suos irrigans. Quin etiam totum „de opificio“ librum ita ex Stoico quodam exemplari expressit, ut pleraque describere potuerim, nisi rerum levitas dissuasisset. Sed haec omnia fere sordent prae eorum splendore, quae graeci eiusdem saeculi patres, quos doctos appellare consuevimus, libris suis Stoicorum placita inseruerunt. Clemens enim Alexandrinus et Origenes, cum id agerent ut fidem Christianam in philosophiae formam redigerent et doctorum suae aetatis gentilium usui accommodarent et quasi sapientiam conderent Christianam, non potuerunt fere in eius scholae gyros non incurrere, cuius permulta placita ad Christianam doctrinam proxime accedere viderentur.

Atque Clemens quidem quae Stoica profert, ad unum auctorem revocari non possunt. Multa enim compendia et introductiones, quod genus supra tractavimus, redolent, alia ex definitionum Stoicarum thesauris desumpta sunt, alia ex amplioribus moralis doctrinae libris fluxerunt. Atque omnino tam multiplici veterum auctorum lectione fuit imbutus, ut Stoica quoque a multis auctoribus accepisse censendus sit. Qua autem ratione in libris suis condendis Clemens versatus sit, luculentissime docet octavus Stromateon liber. Hunc enim neque editum ab ipso Clemente neque perfectum, sed post mortem eius, ut videtur, ab amicis edito operi adnexum, excerpta quaedam ex Graecorum philosophorum libris continere, nondum in ordinem disputationis continuae coniuncta in programme Rostochiensi demonstrare studui. Quae vero extremo loco de causarum differentiis proferuntur, meram exhibent Stoicorum doctrinam, quod cuius perito primo obtutu manifestum est.

Plus etiam utilitatis in nostrum opus ex Origene redundavit. Nam apud Clementem quidem ipsius Chrysippi vestigia nusquam detexi, multa apud Origenem. Hic enim vulgaribus, qualia compendiis et placitorum thesauris tradebantur, fere abstinet; quaecunque exhibet Stoica ipsorum philosophorum lectionem manifesto produnt. Quodsi Origenem ad ipsos fontes accedendi praeclaro quodam studio insignem fuisse constat, ad Chrysippum eum devenire necesse erat, siquidem illius aetate una fere Chrysippi auctoritas in Stoicis valebat. Neque tamen is est Origenes, qui veterum auctorum nomina iactando inanem doctrinae speciem captet. Itaque paucis admodum locis Chrysippi nomen protulit, multo pluribus libros eius usurpasse censendus est. Quodsi doctrinae eius nimiam laudem me tribuere aliquis opinatur, conferat velim quae Vol. II n. 957, 964, 988, 989, 990, 996 ex libris „contra Celsum“, ex libro tertio „de principiis“, ex libro „de oratione“, ex „commentariis in Genesin“ excerptimus; intellegeat Chry-

sippeam de fato et de libero arbitrio doctrinam tam accurate exprimi, ut locis compluribus ipsa Chrysippi verba quasi eluceant. Itaque cum intellexissem quanta esset in hoc auctore utilitas, commentaria quoque et Veteris et Novi Testamenti accurate perquisivi reportavique ex hoc longinquo neque iucundo itinere paucos quidem sed eos primae notae locos.

Haec fere sunt quae de fontibus fragmentorum praefari in animo erat, quibus hoc cum maxime egimus, ut qua ratione in colligendis Chrysippi reliquiis versati essemus, palam fieret nec non ut intelligeretur ab iis qui collectionem nostram usurparent, quae esset cuiusque testimoniorum generis fides atque auctoritas.

Epimetrum de librorum Chrysippi indice Laërtiano.

Mutilus exstat apud Laërtium Chrysippi librorum catalogus. Atque logicorum quidem index, qui primo loco ponitur, si totum spectes, optime servatus est, physicorum totus intercidit cum maxima parte moralium. Sed etiam logicorum indicem labem traxisse demonstrari potest duobus argumentis. Libri enim logici apud Laërtium e rebus tractatis in quattuor species digeruntur, quod aperte testantur § 198 verba: *λογικοῦ τόπον τὰ τῶν προειρημένων τεττάρων διαφορῶν ἐκτὸς ὄντα*. Ex his vero quattuor speciebus tres tantum cum titulis suis integrae ad nos pervenerunt, alteram dico, tertiam, quartam. Prima enim titulo caret; neque licet suspicari, huius particulae libris quasi generalem quandam introductionem contineri, quae proprio titulo non egeat, cum verba Laërtii supra exscripta hanc non minus specialem fuisse quam ceteras partes testentur. Accedit quod primae partis ambitus ceteris comparatus iusto brevior est. Nam cum ceterarum brevissima i. e. tertia tres *συντάξεις* contineat, quinquaginta quattuor libros, prima ex quattuordecim libris videtur constare, qui in complures *συντάξεις* non digeruntur. Iam cum primus titulus in libris hanc formam praebeat: *θέσεις λογικά καὶ τῶν τοῦ φιλοσόφου σκευμάτων*, primo obtutu intelligitur, scribendum esse: *θέσεις λογικά*. Debebant enim logicae theses a moralibus (Vol. II p. 8, 31) et physicis (Vol. III p. 205, 14) discerni. Quid vero de sequentibus iam fiet verbis: *τῶν τοῦ φιλοσόφου σκευμάτων*, quae neque cum antecedente titulo possunt coniungi, neque per se pro titulo esse? Itaque certum textus mutilati signum nacti sumus. Quodsi hoc loco numerus aliquis librorum ad primam speciem pertinentium excidit, non potest ulla esse subscriptionis auctoritas, qua librorum logicorum summa subducitur, nisi maiorem praebet numerum quam libri in nostro Laërtio enumerati. Atque re vera maiorem numerum praebet: *ὁμοῦ τὰ πάντα*

τοῦ λογικοῦ ἑνδεκα καὶ τριακόσια. Libri autem enumerati apud Laërtium non transcendunt numerum trecentorum et unius, etiamsi in prima parte verba καὶ τῶν τοῦ φιλοσόφου σεκευμάτων pro tituli vestigio accipias eaque quae pseudepigrapha notantur comprehendas. Sed quamquam primae speciei decem fere tituli exciderunt, tamen quale fuerit eius argumentum facile intelligitur ex moralium primae partis comparatione. Quae cum hunc indicem in fronte gerat: Ἡθικοῦ τόπου τοῦ περὶ τὴν διάρθρωσιν τῶν ἡθικῶν ἐννοιῶν, valde est mutilatae nostrae similis. Θέσεις enim ipsa quoque continet et ὅρους et πιθανά (Vol. II p. 8, 30sq.). Hac igitur similitudine ducti possumus suspicari, primam logicorum particulam sic fuisse inscriptam: Λογικοῦ τόπου (τοῦ περὶ τὴν διάρθρωσιν τῶν λογικῶν ἐννοιῶν). Quattuor autem illis speciebus appendix adnectitur, de qua egi huius praefationis p. VII.

Iam quod ad ordinem attinet, quo quattuor illae logicorum species se excipiunt, non longa opus est disputatione, ut intellegatur, tertiam quae nunc est partem secundo loco ponendam fuisse propter rerum tractatarum naturam. Continet enim τὸν περὶ τῶν σημαίνοντων (vel περὶ φωνῆς) τόπον, cum et altera et quarta species ad τὸν περὶ τῶν σημαινομένων (vel περὶ πραγμάτων) pertineant. Atque eodem iure, quo alteri, etiam quartae, quae est de syllogistica ratione, inscribi potuit: λογικοῦ τόπον τοῦ περὶ τὰ πράγματα. Quaerimus igitur, quomodo fieri potuerit, ut ordo partium ita perverteretur. Atqui patet neque eum, qui ipse huius ordinis auctor fuerat, tantopere a vero aberrare potuisse, neque eum, qui catalogum ab alio confectum describeret. Multo magis in eum hic error cadit, qui ex librorum collectione secundum totius doctrinae rationem digesta, titulos in indicem conferret. Exstitit igitur editio quaedam Chrysippi librorum ab ipsis philosophis in usum discipulorum comparata. Utrum vero ab ipso Chrysippo haec editio comparata fuerit, an a recentiore quodam scholae assecla, non potest diiudicari nisi ex ipsa logicae Chrysippi doctrinae pervestigatione, quam ab hoc loco alienam ducimus.